


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

176

DA Box

No. 138.



M Tucker fecit

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI EX

quatuor Euangeliſtis concinnatæ enarratio ſeptem concionibus abſoluta,

A

IOHANNE SASCERIDE VVARMENHVSANO.

QVIBVS ACCESSIT IN FINE loco appendicis Conciuncula de Reſurrectione Chriſti.



VVITEBERGÆ

ANNO M. D. LXVII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

S I
TA
ſplen
N I

Quit
tam
detu
prom
mini
Atq
veru
pœni
Chri

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ORNATISSIMO VIRO, PIETATE, SAPIENTIA, ET

ſplendore generis præſtanti Domino IOHANNI FRIIS, de Heſſellager, ſereniſſimi Regis Daniæ, Noruergiæ &c. Cancellario prudentiſſimo, Domino ac Patrono ſuo ſemper obſeruando S. P.

SIC DICIT DOMInus: In tempore beneplaciti exaudiam te, & in die ſalutis auxiliabor tibi. Quibus verbis Deus apud Prophetam Eſaiam innuere prima fronte videtur, quòd non omnibus æquè ſit pronus ad præſtandam afflictis hominibus gratiam, & ſalutem ſuam. Atque id, etiamſi non eſt ſimpliciter verum, nunquam enim is ex animo pœnitentiam agentes & credentes in Chriſtum à ſe repudiat, rectè tamen

 intelle-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

intellectum, peregrinam vel alienam ab orthodoxa fide nullam opinionem gignit, eò, quòd Chriſtus non omnibus temporibus æquè clarè manifeſtetur. Hinc Apoſtolus, vbi Corinthijs apertiſsimè Chriſtum, eiusq́ gratiam, & Spiritum prædicauit, Prophetæ ſuccinit his verbis: Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis: non ijs tamen, qui Chriſtum prædicatum reijciunt, & perſequuntur, vel ſaltem negligunt: His enim loco beneplaciti fit iræ grauiſsimæ tempus, & loco ſalutis oritur exitij præſentiſsimi dies: At Euangelij demum prædicationi ſyncerè credentibus, & obedientibus hæc dicta cenſeri debent. Siquidem hi ſaltem, quia Chriſtum fulgorem, & imaginem ſubſtantiæ Dei, ſecumq́ omnia conferentem in verbo potentiæ ſuæ (quemadmodum

dum Scriptura loquitur. Ebr.1.) vera fide recipiunt, opulentos, & cæleſtes æterni Dei theſauros omnes, eius vtpote gratiam, pacem, dilectionem, ſapientiam, iuſticiam, vitam, & beatitudinem nunquam ceſſaturam in ipſo percipiunt, adeoq́ non poſſunt nō in beatiſsimum ſæculum, & maximè ſalutarem diem incidiſſe videri, quòd ad ſalutiferam Chriſti noticiam hac fortunati temporis occaſione peruenerint.

Verùm, cùm etiam ſub veteri teſtamento Chriſtus Eccleſiam habuerit, multosq́ ſui cognitione, tametſi magis adhuc inuoluta, cum Patre ſuo reconciliarit, & ad ſalutem æternam perduxerit: ac nihilominus hoc loco Paulus de fœlicitate ſui temporis magnificè glorietur, quaſi nunquam prius ea mortalibus obtigerit, dum,

præmiſſa noui quid annunciantis particula, clamat: Ecce nunc tempus acceptū, id eſt, diſcimus tempus quoduis eſſe tanto beatius, tantoq́ maiorē, ac certiorem hominibus offerre ſalutem, quanto Christus in eo clarius patefactus eſt. Igitur etiam ſub nouo teſtamento poſt Chriſtū corporaliter exhibitum hoc beneplaciti tempus, & hæc ſalutis dies multum interdum obſcurari, ſi non prorſus occidere poteſt, vt ſæculo ſuperiori miſerabiliter factum eſſe vidimus. quantum enim Chriſti ſcientiæ, tantùm huic gratiæ ſeu beneplaciti tempori & huic ſalutis diei decedit. Quapropter eorum, qui ſacro verbi miniſterio præfecti, & huc deſtinati ſunt, vt Chriſti gratiam & ſalutem amplificent, ornent, & promoueant, præcipuam conuenit eſſe curam, auditoribus Chriſtum quàm cla-

riſsimè delineare, & quàm intimè cognoſcendum nuſquam non exponere.

Salutaris autem Chriſti cognitio non eſt eius faciei vel corporis lineamenta perſpecta habere, quæ inter Iudæos increduli quoque, dum coràm eum ſæpius intuiti ſunt, optimè diſcere potuerunt: nec ea præcipuè poſita eſt in humana, literaliq́ ſcientia titulorum, ſeu nominum, & officiorum, quæ Chriſto Scriptura ſacra paſsim attribuit, quòd videlicet ſit Sacerdos, Rex, interceſſor, mediator, ſaluator, victima, lytrum, agnus, ſapiens, iuſtus, bonus, & miſericors &c. quoniam & quiuis hypocritæ, qui Biblica ſcripta paſsim nunc (Deo laus) extantia, vel ipſi legere nouerunt, vel ab alijs audire ſuſtinent, non tandum diſcere, ſed etiam docere facile poſſunt: quibus nihilominus obijciet in

extremo iudicio Chriſtus illud: nunquam cognoui vos, diſcedite à me omnes operarij iniquitatis. In quo dicto quum affirmabit Dominus, quòd nunquam profanos cognouerit, indicabit, quòd potius homines profani nunquam ipſum cognouerint. Siquidem Deo nec paſſerculi, nedum homines vlli ſunt ignoti: Verum Deus tum nos ignorare, ſeu negligere dicitur, quando nos illum ignoramus, ac negligimus.

Cùm igitur Chriſtum nec Iudæi, qui corporis eum oculis viderunt, & cruci manibus affixerunt, nec hypocritæ noſtri per literalem externi verbi noticiam, dum in carne ſecuri manent, verè & ad ſalutem ſuam cognoſcant. reſtat nunc, vt verã, & ſalutarem Chriſti cognitionem eſſe definiamus eam, quæ percipitur

à verè pijs per viuam fidem in Spiritu ſancto, quum eius affectum, humilitatem cordis, manſuetudinem, & paupertatem Spiritus, benignitatem, patientiam, puritatem, dilectionem, pacem, vitam &c. non tantùm vident, et perpendunt, ſed etiam ardenter amant, deſiderant, inquirunt, complectuntur, & imbibunt, vt eiuſdem cum eo penitus reddantur indolis. Ita quicunque Chriſtum diſcunt, verè cognoſcunt: alij, quotquot ſunt, eius vmbra, frigidaq́; litera ſe decipiunt.

Iam hic paupertatis, ac dilectionis affectus, quanquam nuſquam non in tota Chriſti conuerſatione ſuauiter elucet, ſuauiſſimè tamen, & pleniſſimè ſimul in paſſione morteq́; ipſius exprimitur, dum in hominis gratiam is præ anguſtia ſudare ſanguinem,

capi: flagellari, damnari, crucifigi, & amarulenter ab omnibus hominum ſtatibus irrideri citra vindictæ cupiditatem, imò & pro perſecutoribus patrem ſuum cœleſtem exorare ſuſtinet. Quæ cùm pij vero ſtudio legunt, ac meditantur, ſuoq́; inſculpere animo nituntur, an non rectiſsima via Chriſti, Deiq́; ipſius imaginem, adeoq́; & lucem, ac vitam æternam in ſe recuperare quærunt? Cùm itaq; Chriſti Domini noſtri quarumuis in terris actionum, tùm præcipuè paßionis hiſtoria diligentiſsimè legenda, & cogitanda eſt omnibus veram pietatem amantibus. Atq; eam & verbi miniſtri populo ſtudioſius, & frequentius proponere debent. Vt enim & Eccleſiæ lux à paruis initijs paulatim per Moſem, Prophetas, Iohannem, ipſum Chriſtum, & Apoſtolicos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

doctores aucta eſt, ac tandem ad perfectam, & conſummatam Chriſti ſapientiam in Spiritu ipſius perducetur: ita certè Chriſtus Eccleſiæ ſuæ perfectiſsimum archetypum non modò natus infans per pueritiam, & adoleſcentiam ad virilem ætatem in corpore paulatim excreuit: ſed etiam reſpectu Spiritus, ac doctrinæ curriculum ſuum, quod ab elementari Baptiſmo Iohannis inchoauit, proculdubio ſic ordinauit, vt finis initio ſit plenior, & grandioribus refertus myſterijs, adeoq; paſsio eius, & mors, vnà cum reſurrectionis hiſtoria, diligentiſsimè debeat à pijs omnibus introſpici.

His igitur & nos moti rationibus ante quadriennium ferè ſtudioſis aliquibus hanc vltimæ Chriſti cœnæ, & paſsionis hiſtoriam prælegere

cœpimus, & ſummam ei manum tandem impoſuimus. Qui noſter labor, quanquam tenuis eſt, & humanæ parum præ ſe fert eruditionis, ac ſapientiæ, tamen cùm ad pietatem in lectoribus moderatis excitandam videatur accomodatus, viriſq; adeo doctis, ac Theologis in hac Academia noſtra probetur, patiar nunc, vt in publicum (quod Deus vertat benè) prodeat, & quibuslibet in Eccleſia pijs communicetur. Vult enim Dominus apertè coram toto mundo ſuum verbum, ac voluntatem euulgari, quum dicit Matth. 10: Nihil velatum, quod non reuelabitur, & occultum, quod non ſcietur: quod dico vobis in tenebris, dicite in luce, & quod in aurem auditis, prædicate ſuper tectis &c. Non, quòd ſcriptum hoc tàm exiſtimem elaboratum, & omni-

bus numeris abſolutum, vt nullius iudicium, & cenſuram refugiens, quibuſuis etiam naſutulis, & ad curioſitatem, faſtumq́; doctis placere poſſit: ſed, quia tantùm iamdudum eorum reuereri ſtudeo iudicium, qui, cùm verè pij ſunt, nihil aliud, quàm quod Chriſto viſum eſt, approbant. Nam hi certè proximo infirmo, qua ſunt manſuetudine, & candore, næuos, & errata, quæcunq; fidei, pietatiq́; veræ non aduerſantur, ex fraterna dilectione libenter ignoſcunt. Atque ijdem, ſpero, noſtrum quoq; laborem vel exiguum hunc nequaquam aſpernaturi, nedum damnaturi ſunt.

Nec aliud mihi de tua nulli non cantata ſapientia, candoreq́;, & in literatos omnes humanitate, prudentiſſimè Domine Cancellarie, polliceor.

Cùm enim verum ſit illud vulgo dicē ſolitum: ἡ ἀμαθία θρασεῖς ἀπεργάζεται, *ſicut experientia reddit magis moderatos, humanos, & mites, nulli de te certè dubium eſſe poteſt, quin ad infirmos quoque, & humiles non grauatim te demittere, ac eorum conatus, etiamſi adhuc rudiores, donec magis expoliantur, patienter ferre, ne dicam approbare velis: quum tot annis tanta cum laude Regnum hoc ampliſsimum tuis prudentiſsimis conſilijs, & quidē fœliciter (laus in æternum Deo) gubernaueris, adeoq́ maiorem, quàm alius quiſquā diuerſarum rerum experientiam, & cognitionem tibi comparaueris. Imò non his tantùm argumentis de tua in ſtudioſos, tametſi nondum prorſus* κατηρτισμένους καὶ ἀπταίστους *omnes beneficentia*

pronun-

pronunciandum eſt, ſed eam ipſa re ſic vniuerſis & ſingulis paſſim declaras, vt iam pridem ea non Hafniæ modò, ſed & in hac tota Dania ſit celebratiſſima. Quapropter, cùm apud me deliberarem, cuius potiſſimum patrocinium in huius opuſculi dedicatione contra Sycophantæ morſum communi conſuetudine mihi eſſet inquirendum, tua in Rempub. hanc merita facilè obtinuerunt, ne te vllo modo præterirem, ſed qualicunque noſtro hoc munuſculo vel imprimis honorarem: Obnixe precor, vt, quicquid eſt, conſueta facilitate ſuſcipias, meq́ numero clientum tuorum aſcribas. Nam ſi parua non contempta fuerint, ſpero daturum Deum, vt ſuo tempore veniant pleniora. Clementiſſimus DEVS, &

Pater

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti te nobis, totiq́ Regno huic in ſui nominis gloriam, & Eccleſiæ exædificationem quàm diutiſsimè ſeruet incolumem. Vale, Hafniæ anno Chriſti in carnem nati 1566.

T. D.

addictus

Iohan. Saſcerides.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

IN PASSIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI PRÆFACIVNCVLA.

REDEMPTIO GENERIS humani profectò digna eſt, quam tota natura rerum obſtupeſcat, imprimis, de qua redemptus homo per omnem vitam ſollicitè, et propemodum vnicè cogitet. Cùm enim alioqui periculorum ingentium, è quibus liberati ſumus, poſteà libenter, & ſæpè meminiſſe ſolemus, quomodo tandem huius vno vel momento poterimus obliuiſci? Quomodo non ſemper trepido ſimul, & exultante animo pro tanto beneficio gratias agemus Deo, & Chriſto Redemptori? Sed eheu, neſcio qua faſcinati dementia periculum hoc omnium grauiſſimum, in quo fuimus, ne dicam, etiamnum ſumus, dum non ſeriò reſipiſcimus, quaſi nullum, aut per quàm exiguum ſit, ignari præterimus, & ferè contemnimus.

At hîc occurrat nobis iræ diuinæ grauitas, & magnitudo, quæ quanta ſit in ſuæ legis tranſgreſſorem, ſi nondum è ſcripturis alijs no-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

bis perſuaſimus, ex hac paßionis hiſtoria quàm euidentißimè colligere licet. Quid enim? an non abundè, quanta ſit ea, conſpicitur, cùm filius, eſſentialis imago Dei, conditor, & conſeruator omnium rerum, placaturus eam, ſeſe dimittere cogitur, & veluti depoſita ad tempus gloria paterna, nõ tantùm aſſumit, et naſcitur ærumnoſus homo, flet, eiulat, eſurit et ſitit, laſſatur, et fugit pericula, ſed etiam præ anxietate animi ſudat ſanguineas guttas, capitur, vincitur, irridetur, conſpuitur, flagellatur, laceratur, probroſam ac execrabilem crucis mortem adiunctus latronibus perpetitur? Atq; hæc ſi facta ſunt, in viridi ligno, nimirum in Chriſto, qui ipſe nõ erat reus, verùm, quia noſtra peccata in ſe aſſumpſerat: quid fiet in arido ligno, in ijs, qui ipſi Deum offenderunt, certè nulla eloquentia futuram contra damnatos ipſos iram Dei facile vel delineauerit.

Sed, inquies, cuius rei gratia tàm horrendam Dei nobis iram proponemus? an vti deſperemus: nullo modo, verùm vt, ſecuritate carnis depoſita, ſeriò pœnitentiam agamus, agnoſcentes, & vero dolore proſequentes peccata noſtra. Ne autem ad deſperationem & exitium propellamur, ad alteram de paßione Chriſti meditationem progrediemur, quanta videlicet erga nos

ga nos Dei ſit miſericordia: qui, ne nos æternum damnationis cruciatum pateremur, tanta pro nobis filium ſuum dilectum ac vnigenitum pati voluerit: ipſius quoq; filij quantus erga nos amor ſit, cùm ſe ſuamq; vitam, & omnia quæ chara habuit, patiendo, moriendoq; nobis impendere non dubitauerit. Hinc excitetur haud ſimulata fides, emicet ſpiritualis lætitia, ſequatur continua gratiarum actio, deniq; exardeſcat vera dilectio, qua quàm proximè Redemptori noſtro Chriſto coniungi, vel potius vniri flagremus, ardentibusq; ſuſpirijs inſtanter quæramus.

Quæ autem ſit via, per quam eò veniatur, vt vnum reddamur cum Chriſto, neq; id ſi paucis indicauerimus, alienum fuerit à noſtro propoſito. Cùm Paulus Rom. 8. dicit nos eſſe filios, & hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti, dum vnà cum Chriſto patimur, vt et ſimul cum ipſo glorificemur, ſignificat apertè tum demum Chriſto nos vniri, cum affectibus ei tàm in humiliatione, quàm in glorificatione ſimiles & conformes efficimur. Sed quia maieſtas, & gloria Dei ſublimior eſt in ſeſe, quàm vt humilitas terrenæ noſtræ conditionis, & corruptæ naturæ ſine medijs vllis acceſſum ad eum habeat, neceſſarium omnino eſt, vt per humilitatem Chriſti,

tanquàm per ſcalam illam in viſione quondam patriarchæ Iacob oſtenſam aſcendamus. Aſcendimus autem per eam ad gloriam Chriſti, dum vnà cum Chriſto, non abſente fide, patimur, eiusq́ ſic veſtigijs inſiſtimus: qui, Petro teſte, paſſus eſt, vt nobis exemplũ relinqueret, id eſt, vt viam oſtenderet qua ſequi ipſum debemus. Nam, vt eleganter et Iohannes ait, 1. Ioh. 4: Nõ aliter quàm ipſe eſt, etiã nos ſumus in hoc mundo. Nos enim, quotquot ad ſalutẽ ipſe perducet, ſuis humeris imponit, & , vt membra ſua factos inſerit corpori ſuo illi, quod prius quàm glorificari potuit, neceſſe fuit humiliari, conſpui, flagellari, lacerari, pati, crucifigi & deniq́ mori. Si igitur in gloria per omnem æternitatem Chriſto coniungi cupimus, certè nulla alia via, vel porta nobis ingredienda eſt, quàm anguſta illa, καὶ ἡ τεθλιμμένη ὁδὸς, *in qua videlicet abnegemus noſmet ipſos, & ſublata in humeros cruce noſtra Chriſti veſtigijs inſiſtamus, hoc eſt, humiliabimur & ipſi, noſtrumq́ peccatũ geſtabimus, eoq́ onerati incedemus, contemptum nullum exhorreſcemus, nec vllam refugiemus aduerſitatem, carni velut mortui, mundoq́ ſepulti, deponemus, & ſilentio mulctabimus animam noſtrã, id eſt, concupiſcentiam noſtram, vt abalienetur à nobis, haud ſecus, ac infans quiſpiam ablacta-*

tus,

tus à matre ſua abalienatur, expectantes interim ad refocillationem Domini vel in perpetuum, Amen. Id qui nolunt, ne fallant ſeipſos, neque ſtatuant ſibi quicquam eſſe cum Chriſto commune, neq; gloriam eius expectent, ad quam nulla alia via eſt, quàm hæc per humilitatem, & mortificationem noſtri. Qui verò hoc audent, & ſeriò hoc enituntur, vt humiliati, ac mortificati paßioni, mortiq; Chriſti conformes euadant, ij ne dubitent, quin per veram fidem ſimul & Spiritum ſanctum Chriſto ſint vniti, certiq; adeò fiducia, et læto animo futuram cum ipſo glorificationem expectent, nam, vt ſemper vera fides & Spiritus ſanctus id ſecum adducit, ita ſine Spiritu ſancto, veraq; fide nemo id vel vult vel poteſt. Atque hæc de meditatione paßionis Dominicæ, præfationis loco: ſufficiant. Nunc ipſum (quod Deus bene vertat) contextum aggrediamur: quem commoditatis gratia diuidemus in ſeptem partes ſe u onciones, quarum prima erit de ijs, quæ circa Cœnam geſta ſunt. Secunda, de ijs, quæ in horto contigerunt. Tertia, quæ in ædibus Caiphæ paſſus eſt. Quarta, quæ ante ſententiam damnationis in Prætorio tulit. Quinta de ijs, quæ circa ſententiam damnationis facta ſunt. Sexta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

de Chriſto crucifixo. Septima & vltima de de mortuo & ſepulto Chriſto. Atque hæ in ſtudioſorum vtilitatem abſoluere ſtudebimus, quàm fieri poterit vt breuiſsimè, ſic & apertiſsimè.

IN

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

IN PASSIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI EX QVAtuor Euangeliſtis concinnatam Concio prima, de ijs, quæ circa Cœnam geſta ſunt.

INſtabat autem feſtum azymorũ poſt duos dies, & dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Scitis, quòd poſt biduum Paſcha fiet, & filius hominis tradetur, vt crucifigatur.

AVſpicantur Euangeliſtæ paſsionis hiſtoriã à χρονογραφία ſeu deſcriptione tempporis ad maiorem rei geſtæ certitudinem. Verba autem hæc ad ſuos diſcipulos Chriſtum apparet locutum eſſe, biduo ante Paſcha, nempè die Mercurij, cum proximo die Veneris ad veſperam azymorum dies erant inchoandi. Notetur, quod nec tum ſuæ paſsionis tempus in Paſchate futurum eſſe Chriſtus, vt verus, & futurorum præſcius Deus ignoraret, licet ipſi crucifixores aliud ſecum ſtatuerent, vt audiemus mox, oportuit

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

enim rei veritatem propoſito typo per omnia reſpondere. Quare vt Agnus phaſe decimo die primi menſis à reliqua turba ſeperabatur, & vſque ad diem 14. ſeruabatur (Exodi 12.) in quo ad veſperā erat mactandus, ita neceſſe fuit, vt Chriſtus in die Palmarum tanquam ad mortem ſanctificatus ingrederetur Hieroſolymos, & ibi palam verſaretur, ac doceret, per quatuor dies. Poſtea verò pro generis humani peccatis immolaretur. Appellatur autem feſtum hoc azymorum, quia fermenti ſeu fermentati panis vſus in eo fuit illicitus. Præcipit enim Deus Iſraëlitis Exodi 12. in hunc modum: Septem diebus azyma comedetis, in die quoq; primo non erit fermentum in domibus veſtris: quicunq; commederit fermentatum, peribit anima eius de Iſraël à primo die vſq; ad diem ſeptimum. Et paulò poſt rurſus: primo menſe, quarto decimo die menſis ad veſperam comedetis azyma vſq; ad diem 21. eiuſdem menſis ad veſperam: & quæ ſequuntur. Paſcha autem ſeu Peſach פֶּסַח id eſt, tranſitio dicitur, quia Angelus, dum primogenita Ægyptiorum percuſſit, poſtes Iſraëlitarum illius agni ſub exitum de Ægypto mactati ſanguine conſperſos præteriijt, ne ſimul eorum primogenitos cum Ægyptijs occideret. Atque in eius præteritionis Angeli memoriam Agnum

hunc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

hunc paſchalem quotannis immolarunt, & feſtum hoc annuatim celebrandum ſuſceperunt. Verùm, vt impleto iam typo, nobis alius agnus paſchalis, ipſe nimirum Chriſtus immolatus eſt, ſic et nos feſtum celebrantes, remouere vetus (vt Paulus loquitur 1. Cor. 5.) maliciæ, verſutiæq́; fermentum, veritatem autem, & ſynceritatem, vt azymum panem, aſſumere debemus. At de Paſchate latius aliquanto pòſt fortaſſe per occaſionem quædam dicemus. Hoc loco ſaltem id obſeruabimus, quòd ſuæ mortis & tempus, & modum Chriſtus non ſolùm tàm exactè præſciuerit (quod paſſim inculcant Euangeliſtæ, ne non ſponte ſe ad eam obtuliſſe, ſed contra ſuam voluntatem abreptus ad eam videri poſſit) verùm etiam velut elegerit, vt in ea prorſus nihil à præmiſſo paſchalis Agni typo vel tantillum diſcreparet. Nam vti præſciuit in Paſchate ſe paſſurum, ita & crucis mortem ſe paſſurum, tanquam iam audita iudicum ſententia, pronunciauit. Vt autem temporis ratione ſignificauit, ſe eſſe verum illum Agnum, cuius ſanguine conſperſa corda non tantùm iram, plagamq́; Dei effugiant, ſed et à peccato ad iuſticiam, & à mote ad vitam tranſeant: ita quòd in crucem tolli voluit, etiam habuit ſua non pauca myſteria. Primùm enim per lignum in Adamo deſtructi,

per lignum in Chriſto reſtituendi fuimus. Deinde, quia per tranſgreßionem legis, maledictioni fuimus obnoxij, reſtitui quoq; non potuimus in integrum, niſi Chriſtus pro nobis execrationis mortem, id eſt, crucem ferret, nam de ea tantùm dictum eſt: Maledictus omnis, qui pendet in ligno. Typo quoq; ſerpentis ænei ſatisfieri debuit. Quemadmodum ait Ioh. 3. Vt Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in eum nō pereat, ſed habeat vitam æternam. Ne dicam, quòd in cruce brachijs extenſis, omnes ad ſe, quodāmodo inuitaturus videretur. Deniq; ne ſim prolixior, vt crucis mors omniū habita ſemper fuit ignominioſißima, ſic et ipſe Dominus infra omnes creaturas humillimè ſe deiecit, & quicunque viua Chriſti membra verè cenſeri volunt, prorſus abnegare, & egredi ſeſe, omnemq; ſuam gloriam, & intimam voluntatem ſeponere, & à ſe dimittere, crucíq; affigere tenentur. Si cupimus igitur vnum eſſe cum Chriſto, ne refugiamus & nos hoc modo tradi, ſed vel vltrò parati ſimus, vt crucifigamur prauis noſtris affectibus. Sequitur iam in textu.

Tunc congregati ſunt principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores

popu-

populi in atrium Principis Sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & conſilium inierunt, vt Ieſum per dolum comprehenderent, & occiderent, timebant enim plebem. Dicebant autem: non in die feſto, ne forte tumultus fiat in populo.

SVpra audiuimus, quomodo Chriſtus Apoſtolis & diem, & modum ſuæ paßionis prædixerit: Nunc Euangeliſtæ progrediuntur ad viam deſcribendam, qua paulatim ad eam peruentum ſit. Ponunt autem hîc duo, quinam contra Chriſtum in conſilio fuerint, & quid concluſerint. Ac primùm conſideratione dignum, quòd nõ impetu quodã, & ſubitò ſit ad mortem abreptus, vt Zacharias filius Ioadæ, ſed tum demum apprehenſus, vbi prius diu multumq́ deliberatum fuit, ac decretum factum non à vulgo, & fece ſeditioſorum hominum, ſed ab optima parte generis humani, nimirum ab ordinaria poteſtate, & à magiſtratu non tantùm politico, ſed etiam Eccleſiaſtico, idq́ in populo Dei. Conuenerunt enim in atrio ſummi Pontificis Caiphæ primùm principes Sacerdotum, id eſt, Epi-

ſcopi, & alij qui præcipuam in Eccleſiaſtica functione dignitatem habuerunt. Deinde ſcribæ ſeu literati, id eſt, eruditiſsimi quiq;. Tertiò Seniores populi, id eſt, magiſtratus politicus, vt Conſules & Senatores vrbis non gentilis cuiuſpiam, ſed Hieroſolymitanæ, vbi præcipuè cultus veri Dei florere debuit. Quo cœtu quid auguſtius, quid ſanctius inter homines cogitari poſsit? Hic tamen conuenit in hoc, vt filium Dei, Dominum & Seruatorem ſuum dolo comprehenſum occidat. Eheu, quis iam humanis prærogatiuis, donis, dignitatibus, viribus, & libero arbitrio vel tantillum tribuat in ſalutis negotio? quis iam cum Stigelio non exclamet: Eheu quàm mundo eſt res aliena Deus?

Notetur hîc etiam conſilium Dei, quòd ferè propenſior ſit ad rudes, humiles, & afflictos illuminandos, ac ſaluandos, quàm ad ſapientes, magnos, & fœlices, quòd minus illi, quàm hi proprijs niti conſilijs, præſidijs, & ſolatijs poſsint, adeoq; magis Chriſti Spiritui viam in corde ſuo præparauerint. Hinc eſt, quod loquitur Matth. 11. in hunc modum: Gratias ago tibi Pater Domine cœli, & terræ, quòd abſcondiſti hæc à ſapientibus & intelligentibus, & reuelaſti ea rudibus: certè Pater, quia ſic fuit beneplacitum coram te. Et Paulus 1. Corint. 1. Videte vocatio-

catio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

cationem veſtram fratres, quod non multi (ſint in ea) ſapientes iuxta carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed ſtulta mundi elegit Deus, vt ſapientes pudefaciat, Et infirma mundi elegit Deus, vt putefaciat fortia. Et ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus & quæ nihil ſunt, vt, quæ aliquid ſunt, aboleat, ne glorietur vlla caro coram eo.

Cur autem dolum adhibendum in apprehendendo, & occidendo Chriſto iudicauerint, cauſa ponitur in textu, timebant enim plebem, quæ, ſicut apud Lucam cap 19. dicitur, pendebat ab ore eius, ideo cenſebant eum apprehendendum quidem, & occidendum, ſed non in die feſto, ne videlicet per turbam ei addictam tumultus, & ſeditio oriretur in populo. Cernitur iam hîc manifeſtè, quòd in paſſione Dominica magis ipſius Chriſti, quàm eius aduerſariorum (qui ad crucem eum, ſed nequaquam inuitum adacturi erant) conſilium valuerit: licet enim illi concluderent, eam vltra feſtum Paſchatis differendam, nihilominus verum eſſe debuit, quod Chriſtus prædixit, in feſto Paſchatis eam futuram. Sic nullum conſilium eſt contra Dominum.

Et cùm eſſet Bethaniæ in domo Simonis Leproſi accumbente eo, ac-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ceſsit ad eum mulier habens alaba-
ſtrum vnguenti nardi pyſticæ pre-



cioſæ: & contrito alabaſtro, effudit
ei accumbenti in caput. Videntes au-
tem diſcipuli quidam indignati ſunt
dicentes: Ad quid perditio hæc vn-
guen-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

guenti? nam potuit hoc vendi pluris, quàm trecentis denarijs, & dari pauperibus. Et fremuerunt aduerſus illam.

HIc iam accedimus paulatim ad conſilij diuini diſpenſationem, per quam factum eſt, vt iuxta ſcripturas Chriſtus à Iudæis contra ſententiam ipſorum in Paſchate ſit crucifixus: quia nimirum auaricia Iudæ per mirificam huius mulieris in Chriſtum liberalitatem, veluti per antiperiſtaſin quandam incenſa vel exagitata fuit, vt mox audiemus. At primùm videamus, quale ſit mulieris in vngendo Chriſto ſtudium pietatis, quæ maiorum & eruditiorum hominum iudicio non ſic acquieſcit, vt Chriſtum onorare deſinat. Atq; hîc initio ſtatim Eccleſiæ conſideretur imago, quæ velut lilium inter ſpinas, & coram perſequentibus Chriſtum confitetur. Cùm enim Hieroſolymis principes viri de Chriſto occidendo conſultant, interea mulier hæc Eccleſiæ veræ imago Bethaniæ vicino Hieroſolymis, ſed humiliore loco, precioſo Dominũ vnguento perfundit, id quid eſt aliud, quàm quòd Meſsiam eum eſſe confitetur? Perſecutores, & aduerſarij Chriſti, profani videlicet & impij homines excellunt honore, potentia, et autoritate: verùm

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

verùm Eccleſia comparatur mulieri peccatrici, & afflictæ, quæ Chriſtum inquirit, dum accumbit Bethaniæ in domo Simonis leproſi, id eſt, dum ſe per verbi miniſterium reuelat in hoc leproſo mundo.

Mulier autem hæc (vt veriſimile videtur interpretibus) fuit Maria Magdalena, Lazari, Marthæq́; ſoror, habitans Bethaniæ, ciuis adeoq́; Simonis huius cognomine Leproſi, quæ vt alibi magnoperè à fide commendatur, ita & hic inſignem eius fructum edit, non enim tantùm, velut oblita ſui, in conuiuium honeſtorum hominum, quò Chriſto præſtet officium, irrumpit, ſed & valdè ſe liberalem erga eum præbet. Adfert enim in vaſculo alabaſtro, quod frangendum erat, vnguentum ex precioſiſſimæ nardi ſucco (nam ſic intelligo vocem, piſticæ, id eſt, potabilis à πίνω) cuius precium exceſſerit 300. denarios, hoc eſt, 37. thaleros. Nam octo denarij ferè faciunt thalerum. Circa quod factũ duo cogitanda ſunt: primùm, quòd nihil nobis tàm charum eſſe debeat, quin in Chriſti gratiam relinquere, vel expendere, cùm res poſtulat, parati ſimus, alterũ, quòd, priuſquam fragrantia S. Spiritus, veræq́; fidei, Chriſtum velut inungere poſſimus, neceſſe ſit, vt omnem carnis ornatum, tanquam alabaſtrum aliquod conteramus, & è con-

ſpectu

ſpectu noſtro remoueamus. Alioqui enim ſpiritus, exerere ſe nequit. Quibus addi poteſt, hoc factum huic mulieri diuinitus in mentem veniſſe, quo præueniret inſtantem Chriſti ſepulturam: nam, quia corpus eius à putrefactione præſeruari neceſſe fuit, iuxta Pſalmum 16:. nec poſt mortem propter Sabbathi ſuperuenientis religionem aromatis operoſè condiendum erat. Vtile fuit id hoc modo viuum, morte iam imminente condiri, ſicut ipſe Chriſtus in defenſione mulieris poſtea ſignificat.

Porrò, quod indignari ſcribuntur diſcipuli quidam, & fremere contra mulierem piam, præcipuè de Iuda eſt intelligendum, qui ſua forſan improbitate, & calumnia nonnullos etiam ex alijs eò perduxit, vt ſententiam ipſius approbauerint, ſed nequaquam eadem virulentia, ac malignitate, quod exitus probat, quia non ideò conſpirarunt in Chriſti proditionem, vt ille. Quippe magna eſt & piorum imbecillitas, & facilè ſimpliciores contagioſis hypocritarum hulceribus inficiuntur, à quibus tamen hi ſe per verbum, & Spiritum Chriſti ſanari ſinunt. Quare iterum, atq; iterum caueamus, ne profanis etiam in externo Eccleſiæ cœtu (nam Iudas hic in Eccleſiæ cœtu fuit, veluti membrum prima-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

rium) nimiũ ſimus addicti, ne imprudenter vnà cum ijs in foueam, & barathrũ æternædamnationis incidamus. Malũ enim, vt cancer, ſerpit, et vna ouis morbida facile cõtagione ſua plures inficit. De Iuda videamus, quomodo ſuã impietatem palliare ſciuerit, quaſi nõ ex auaricia, ſed ex mera ſanctitate, curaq́; pauperũ huic mulieri ſuccenſeret. Simulauit ſe de pauperibus eſſe ſollicitum, cùm interim de ſuo marſupio implendo cogitaret. Quæſtor enim erat, vt Iohannes teſtatur, & quidem infidelis: Vnde, quantò plus ei commiſſum fuit pecuniæ, tantò liberius, ac tutius, velut inſcio Chriſto (qui cœleſtibus intentus hæc terrena non tam anxiè reuocare videbat ad calculum) quædã in ſuũ, ſuorumq́; vſum ſubtrahere potuit. Sed exitus Iudæ docebit, quòd ij, qui ſimplices, & mites defraudant, quanto id magis impunè facere videntur, tantò grauiores pœnas tandem ſubituri ſint. Nam peccatum reprobis peccato punitur, donec in baratrhum Gehennæ ruant. Hæc autem via palliandi peccatum omnibus hypocrytis eſt vſitatiſsima. Sic Ieroboam Rex Iſrael erecturus vitulos in Bethel, & Dan, prætexebat non, quod ipſe cogitabat, nimirum, vt ſtabiliret regnum ſuum, ſed quaſi populo commoditatem quæreret: multum, inquiens, eſt vobis, ire quotannis in Hieruſalem,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ecce, hic Dij tui Iſrael. Sic Papa ſibi cum hæreticis rem eſſe fingit, dum ſuam potentiam confirmare laborat, nec minus noſtri callidè ſub pietatis prætextu ſuam autoritatem extendere, ſciunt.

Eo autem cognito, Ieſus ait illis: Sinite illam, quid moleſti eſtis mulieri? bonum opus operata eſt erga me. Semper enim pauperes habetis vobiſcum, & quoties vultis, poteſtis eis benefacere: Me verò non ſemper habetis, quod potuit, hoc fecit, præuenit vt vngeret corpus meum ad ſepulturam. Amen dico vobis, vbicunq; prædicatum fuerit hoc Euangelium in toto mundo, hoc quoque, quod fecit narrabitur in memoriam eius.

CHriſtus contra Iudam, & alios huius mulieris patrocinium ſuſcipit, ac ſimpliciter primum prohibet, ne illi ſint impedimento. Deinde obiurgat etiam, quòd moleſtent eam. Tertiò, pronunciat apertè, quòd ipſi præſtiterat eſſe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

bonum opus, & ſimul refutat eorum opinionem qui pauperibus iniuriā ita factam iudicabant, quòd ſatis tamē homines retineant, quod in pauperes elargiri poßint, ſi volunt: grauiter enim taxat humanam diffidentiam, & auerſam voluntatem, qua fingimus nos cupidos eſſe ſubueniendi pauperibus, niſi propriam egeſtatem inde timeremus. Affirmat enim, non tantùm ſemper apud nos multos eſſe, qui noſtram opem implorent, ſed etiam quandocunq;, inquit, vultis benefacere ijs, poteſtis, quaſi dicat, plærunq; non tàm facultas ijs benefaciendi, quàm voluntas deeſt, nam certè egenum proximum ſi non re ſemper, tamen aliquo ſaltem officio refocillare poſſumus. Et res quoq; ſi quis in pauperes erogat, non tam egeſtatem inde, quàm opulentem Dei benedictionem expectare debet, ne dicam, exiguum eſſe, quod pauperibus conferendū eſt, eorum reſpectu, quæ in mundi vanitates quotidie largiter quidem, ſed inutiliter expendimus, quare meritò reprehenditur noſtræ carnis incredulitas. At quid eſt, quod ſubdit: me verò non ſemper habetis vobiſcum? an non inquit Matth. 28 Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſæculi? quomodo hæc inter ſe conueniunt? Reſpondendum eſt, quòd adſit quidem ſemper fidelibus non tamen corporeus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

vt ab eis vngi, ſimiliq́ externo aliquo officio, vel ſumptu refici queat ipſe ſed ſpiritualis tantum in cordibus eorum per fidem, adeoq́ non iam corporalem, ſed ſpiritualem à nobis cultum poſtulans.

Porrò, confutatione huiuſmodi præmiſſa, commendat etiam opus mulieris, primum à pio ſtudio, ſeu intentione. Quod potuit, inquiens, hoc fecit, ac ſi diceret: etiamſi nondum ſic inſtituta eſt, vt perfectè intelligat, quis qualiſue cultus mihi, patriq́ meo ſit acceptus, tamen cùm dilectionem ſuam quam veram habet erga me, præ tempore nondum aliter, quàm hac ratione teſtari ſciat, vt nullius veram erga me dilectionem reſpuo, ſic nec hanc dilectionis declarationem in hac muliere damnare poſſum. Notetur, quòd Chriſtus non tam ipſum opus fidelium, quàm eorum fidem, & intentionem, qua fit opus, reſpiciat, & quòd inchoatam ſuorum pietatem pro plena libenter acceptet, dum per temporis rationem nondum excreſcere potuit. Diuerſæ enim vt homini, ſic & Eccleſiæ ſunt ætates, quibus opera vel magis particuliaria, vel pleniora competunt, vt præter alios Paulus teſtatur 1. Corinth. 13. & Gal. 3. & 4.

Deinde commendat Chriſtus mulieris opus etiam à fine, ſeu euentu, quia ſepulturæ

præmiſſum eſt, & præmunijt corpus eius, ne poſt in ſepulchro citò corrumperetur. Quoniam id poſt mortem fortaſsis ſatis accuratè nõ eſſet vngendum propter Sabbathum ſuperueniens, vti ſupra dictum eſt: vel quia ſtatim à morte ſequuturam vnctionem præuenit, & quaſi præfigurauit. Hinc & Propheticam ei promiſsionem addicit, quam & iure iurando confirmat, quòd videlicit per hoc opus eadem, quæ tunc accuſabatur poſtea ab Eccleſia per totum terrarũ orbem diſperſa vnà cum ipſo celebranda ſit, velut oculis iam tum præuidens & Euangeliũ de ſua morte prædicandum, & Eccleſiam eſſe colligendam in vniuerſo mundo: & in ea memoriam huius quoq; mulieris perpetuò celebrandã: vt factum poſtea res ipſa conuincit. Sed pergamus nos ad reliqua.

Intrauit autem Satanas in Iudam, cui cognomen erat Iſchariotes, qui erat è numero duodecim, abijtq;, & locutus eſt cum principibus Sacerdotum, & Magiſtratuum, dicens: Quid vultis mihi dare, & ego vobis illum tradam? Quo audito gauiſi ſunt, & polliciti ſunt ſe ei daturos trigin-

triginta argenteos, et ſpopondit illis, Ex eo tempore quærebat, quomodo opportunè illum traderet ſine turba.

NVnc apparet ingens eſſe diſcrimen inter Iudæ maliciam, & aliorum diſcipulorum ſimplicitatem. Nam vt hi à Chriſto melius inſtructi reſipuerunt, & Chriſti ſententiam amplexi ſunt, ſic Iudas magis hinc induratus, non iam huic mulieri tantùm, ſed ipſi præcipuè Chriſto fit capitalis hoſtis, ac totum ſe Satanæ regendum præbet. Nam (quod apertè legitur in textu) Satanas ingreſſus eſt in eum. Vnde diſcimus Chriſtum poſitum eſſe non tantùm in reſurrectionem fidelium, ſed etiam in ruinam reproborum: dum ad lucem eius hi, tanquam ad Solem meridianum magis adhuc excæcantur. Quemadmodum Iudas hic (non alter ille dictus Taddæus, qui pius erat, ſed Iſcariotes cognominatus, id eſt, vir excidus à רוה vel ebrioſus, aut mercenarius à שיר amicè per Chriſtum admonitus Diabolo cor ſuum aperit & quanquam vnus erat è numero duodecim, quos præ alijs diſcipulis familiares ſibi fecerat, & Apoſtolos nominauerat Dominus, nihilominus omnium eius beneficiorum & miraculorum

oblitus, abit ad hoſtes, quos mortis eius cupidos norat, & inito cum ijs pacto, propter exiguum lucellum, Domini, magiſtriq́ ſui mitiſſimi proditor fieri conſtituit, in horrendam ruinam ſuam, vti dicitur Pſal. 109. Noluit benedictionem, & procul receſſit ab eo, voluit maledictionem, & venit ei, ac tanquam oleum ingreſſa eſt in oſſa eius, id eſt, Demus nos operam, ne prauis affectibus vllis vel ad breue momentum indulgeamus, dum videmus, quo modo Iudas, qui cum Chriſto tam diu conuerſatus eſt, per auariciam ſe Diaboli nexibus, intricauit vnde nunquam extricandus eſt.

Neque melius cum Pontificibus agebatur, qui, audita ratione, qua Chriſtus Dominus in manus ipſorum tradi poſſet, quaſi lucrum ingens inde ſperantes, ita lætabantur, vt iam nec decreti ſui, quo ſtatuerant vltra Paſcha differre mortem eius, recordarentur. Erant enim de eorum numero, qui lætantur, cùm malè egerunt & exultant in rebus peſſimis, vt loquitur ſcriptura. Cùm autem Iudæ poſcenti mercedem tam facile triginta argenteos pollicentur, non modo typum in vendito Ioſeph præmiſſum, aliasq́ ſcripturas implent ignari, ſed oſtendunt etiam, quàm pronus eſſe ſoleat mundus ad pecuniam exponendam in perniciem Chriſti, cum ad

gloriam

gloriam eius vel vnam teruncíam exponere iudicet nimium, adeo verum eſt, quod Paulus ait, creaturas eſſe vanitati ſubiectas, & ſuſpirare nobiſcum ad liberationem filiorum Dei. Rectéq; Chriſtus opes vocat Mammonam iniquitatis, quòd iniquè ferè inſumantur. Iudas autem vendito iam Domino, ne lucro ſperato fruſtretur, totus eſt in præſtando ſuo impio promiſſo, vias in omnes intentus, quò cautè id, & ſine periculo, magnaq; infamia præſtare poſſit. Ac talis eſt ferè reprobi mundi cura. Sed nos ad Chriſtum, ac diſcipulos redeamus.

Cæterùm primo die azymorum, in quo neceſſe erat immolari Paſcha, acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum, dicentes: vbi vis paremus tibi ad edendum Paſcha? Et emiſit duos è diſcipulis ſuis, Petrum & Iohannem, dicens: Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret homo quidam hydriam aquæ portans, ſequimini eum im domum, in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magiſter:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

giſter: Tempus meum prope eſt, vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis edam. Et ipſe oſtendet vobis cœnaculum magnum, ſtratum, & paratum, ibi parate vobis. Euntes autem inuenerunt, ſicut dixerat illis, & parauerunt Paſcha.

IAm, abſoluto Paßionis prooemio, (in quo explicatum eſt, quæ fuerint conſilia cum ipſius Chriſti, tum Iudæorum in eligendo tempore paſſionis, & quæ præceſſerint media, ſeu viæ, vt ad eam veniretur) progrediuntur Euangeliſtæ ad vltimam Chriſti cœnam deſcribendam, quæ valdè memorabilis eſt, non modò propter plurimas maximè diuinas doctrinas, arcanaq́ myſteria è Chriſti ſacratißimo pectore deprompta, ſed imprimis propter myſticam ibi cœnam inſtitutam. Quod autem hic ea primo die azymorum celebrata dicatur, id eſt, decimo quarto die primi menſis ad veſperam, accipiendum eſt de die iam inſtante, vel incœpto. Nam ferè ab initio præcedentis noctis Iudæi ſuos dies incipiebant ſecundum ſcripturam, vti dicitur Gen. 1. Factum eſt veſpere, & mane, dies primus &c. Atque

que

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

que ſic, inneunte iam die Veneris, qui fuit decimus quartus menſis, id eſt, die Iouis poſt Solis occaſum facta ſignificatur. Siquidem hoc die feſtum præcedente, Paſcha comedi debuit, tametſi Chriſtus præuenit aliquantulum vſitatum tempus, & initio diei fecit, quod ſub finem eiuſdem, nempe die Veneris ante Solis occaſum fieri demum ſolitum erat, eò, quod vmbra præmiſſa, tunc ipſe verum Paſcha deberet immolari.

Cùm itaq; veniunt ad Chriſtum diſcipuli, quæruntq́; vbi Paſcha ſibi velit apparari, duos è diſcipulis emittit. Petrum & Iohannem non ad certum & notum hominem, ſed in quocunq; ſignum prædictum conſpicerent, quod nec vanum, nec fruſtraneum fuit. Nam & hominem, qualem Dominus prædixerat inuenerunt, & ab eo, quæ petierunt, impetrarunt. Vnde diuinitatem quoq; Magiſtri ſui, qui tam certo futura, & abſentia cognoſceret, ac diuinam potentiam, cui nihil negari poſſet, euidenter agnoſcere potuerunt.

Significatur autem hoc facto non ſolùm, quòd ſemper vel ſæuiſsimo perſecutionis tempore nonnullos habeat Chriſtus, apud quos diuerti, ſuumq́; verbum propagare poſsit, ſed etiam

iam quales ij ſint, apud quos diuerti ſolet. Nam is, qui hydriam aquæ portat, delineat aut illos, qui ſub cruce verſantur, & afflicti ſunt cordis (crux enim & dolor per aquam in ſcriptura depingitur, vt Pſal. 69. *Venerunt aquæ vſq; ad animam meam*) aut illos, qui ſcripturam ſacram ſaltem literaliter (ſiquidem & externi verbi literam aqua ſuo frigore ſignificat) amant, inquirunt, audiunt, legunt, & meditantur. Quando enim prius quàm ipſe Chriſtus aduenit, Spiritus apud quenquam vigere nequit, apud nullum certò citius is hoſpitatur, quàm, qui ipſum in externo verbo, tanquam ignem in cinere, conſtanter inquirunt, vt iјs aquam in vinum conuertat. Ad hoc igitur, qui lugent, & è ſcriptura conſolationem quærunt, accedere vult Chriſtus, ad hos mittit ſuos diſcipulos, & monet eos ſuum tempus inſtare, quo myſticam cœnam, de qua dicitur, Apoc. 3. cum eis comedat. Parent itaque locum ei in corde ſuo, quod & promptè tales tum faciunt, ac ſtatim ſpacioſum & ſtratum cœnaculum apparant, in quod Chriſtum ſuſcipiant. Vt ait Apoc. 3. *Ecce ſto ad oſtium & pulſo, & ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Notandum autem, quod ait apud Marcum: *Ibi parate vo-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

bis: quia omnia Chriſti facta nobis hominibus, non ipſi proſunt.

Cùm veſpera iam eſſet, venit Ieſus, & accubuit cum Apoſtolis, & ait illis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha comedere vobiſcum antequã patiar. Dico enim vobis: poſthac nõ edam amplius ex ea dum compleatur in Regno Dei. Et, accepto poculo, gratias egit, & dixit: Accipite hoc, & diuidite inter vos, dico enim vobis, quod poſthac non bibam de hoc fructu vitis, donec veniat Regnum Dei.

HIc auſpicatur Chriſtus vltimam ſuam cœnam: in qua tria ſunt maximè memorabilia, comeſtio veteris Paſchæ: nouæ cœnæ inſtitutio: & pedum ablutio, quæ etiam ad tria diuerſa ſuccreſcentis Eccleſiæ tempora pulchrè ſpectare videntur. Vnde de his & nobis aliquantò dicendum erit accuratius. Nam quæ præmiſſa ſunt, & quæ poſtea ſubiungentur, his

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

tribus præcipuis actibus velut proœmia, & appendices quædam addita cenſeri poſſunt. Ac de primo, ſtatim vbi Chriſtus vnà cum Apoſtolis accubuit, indicat animum, affectum, ac deſiderium ſuum, quo longo tempore flagrauerat, ad hanc vltimam cœnam, è qua ad paßionem ſuam progreſſurus erat, comedendam, quare magna attentione perpendamus, quæ Dominus in ea geßit, & nobis veluti cogitanda commendauit. At quid eſt quod tanto cœnæ huius deſiderio tenebatur Chriſtus? an tãtopere ſui corporis lacerationem expetiuit? nequaquã eam per ſe, ſed id, quod ex ea ſequuturũ erat, nempe fidelium ſalutem expetiuit: & vt Eccleſia per ipſum ad plenã Regni cœleſtis exedificationem, finemq; deſtinatũ proueheretur, ad id ſuſpirijs ardentißimis anhelauit, vt & nos langueſcere ſemper, & veluti contabeſcere debemus amore ſponſi noſtri Chriſti, eiusq; Regni venturi, quemadmodũ ait de ſe Pſalmographus: Confracta eſt anima mea præ deſiderio ad iudicia tua omni tempore, & Chriſtus Matth. 5. Beati, inquit, qui eſuriunt, & ſitiunt iuſticiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Hinc & ſinguli Chriſtiani quotidie precari tenentur, vt adueniat Regnum Dei, fiatq; tandem eius voluntas in terra quoq;, ſicut fit in cœlo. Quod quid aliud eſt, quàm vt Eccleſia mi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

litans in terris, Chriſto tandem ſapientia, iuſticiaq́ perfectè reddatur conformis.

Deinde, quòd huc tenderit Chriſti deſiderium, patet è ſequentibus: Dico enim vobis, id eſt, quorum hæc ſententia: quòd hoc Paſcha vobiſcum ante meam paſſionem comedere diu deſiderauerim, non eſt ſine cauſa, nam hinc iam futurum eſt, vt abſoletæ veteris Paſchatis figuræ (quæ & temporalis tantùm liberationis memoriam repreſentabat, & in externo ritu conſiſtebat) antitypum, quod per eam ſignificatũ fuit, ſuccederet, videlicet mors filij Dei, cœnaq́ myſtica in eius recordationem inſtituta. Sic enim Paſcha vetus verè demum completum erit, & id quod antea tantum ſub inuolucris quibuſdam inſinuauerat, aperta iam fronte præ ſe feret in Regno Dei, nimirum in Eccleſia.

Deniq́ nec tantùm inter comedendum hanc ſuam læticiam declarauit, ſed & poculum accepit, & patri ſuo gratias egit, &, velut inſtantium dolorum oblitus, iuſſit, vt omnes vnus poſt alium ex eo biberent, aſſerens non amplius, inde ſe de vino elementari bibiturum. Sed hinc regnum Dei venturum, in quo aliud læticiæ genus, è Spiritu ſancto ſit inueniendum. Nam vox Donec non conuincit, quòd in regno

Dei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Dei ſit Chriſtus vinum bibiturus. De tempore enim intermedio ſæpè tantùm agit, de ſecuturo poſt illud nihil concludens: vt in dicto: Non exibit illinc, donec ſoluerit vltimum quadrantem, non probat Dominus vltimum quadrantem aliquando ſoluendum, ſed tantùm innuit, quòd non anteà, quàm ſolutus erit, id eſt, quòd nunquam pœnæ relaxatio futura ſit impœnitentibus. De hoc latius vide Lexicum Forſteri in radice ערך.

Porrò quia ſupra polliciti ſumus nos nonnihil quoque de ritibus, & ſignificationibus veteris Paſchatis eſſe dicturos, non poſſumus id alibi, quàm hoc loco tempeſtiuius præſtare: dum hîc id Chriſtus cum Apoſtolis obſeruare introducitur. Obſeruabimus igitur circa Paſchæ veteris apparationem hæc ſeptem breuiter ex cap. 12. Exodi.

I. Primùm, ſicut in primo anni menſe debuit immolari Paſcha, ſic nos à Chriſto, fideque in Chriſtum ſalutis noſtræ curſum auſpicari debemus.

II. Deinde, cùm, vbi minor fuit familia, quàm vt ſufficere poſſet ad veſcendum agnum, aſſumere iuſſi ſint Iſraelitæ vicinam familiam, quæ coniuncta erat domui ipſorum, ſignificatum

tum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

tum eſt, quòd non Iudæi tantùm, ſed & gentes ad Chriſtum inuitari deberent per Euangelium.

III. Tertiò, Chriſtus agno immaculato maſculo, anniculo comparatur, quia, vt receptis in ſe peccatis noſtris, occidi eum oportuit, ſic & neceſſe fuit, vt innocens, & ſine proprio vitio, ac tùm ſexu, tùm animi conſtantia maſculus, & in media ætate pro nobis offerretur.

IIII. Quartò, cùm ſumitur agnus hic de agnis, & capreis, monet quòd & verus homo Chriſtus futurus, & in populo Dei naſciturus ſit.

V. Quintò, ſicut agnus decimo die menſis à reliquo grege ſeparatus, decimo quarto demum ad veſperam erat mactandus: ita Chriſtus quoq; per dies aliquot ante mortem velut ad mortem ſegregatus prius Hieroſolymis publicè prædicaturus erat.

VI, Sextò, vt agnus ad veſperam immolatus eſt, ita Chriſtus inſtante demum fine mundi crucifigendus erat, idq; a b vniuerſa multitudine filiorum Iſraël, vel, quòd omnes ferè Iudæi conſenſuri eſſent in mortem eius, vel quòd mortis eius fructus ad omnes pios eſſet peruenturus.

VII. Septimò, vt Agni ſanguis aſperſus eſt poſtibus, & ſuperliminaribus domorum, in quibus illum comederunt Iudæi, ſic piorum corda ſanguine conſpergi, & purificari debent per fidem in ipſum pro nobis paſſum, & crucifixum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

De alijs, quæ circa eſum agni Paſchalis conſideranda & dicenda hoc loco fuerant, cùm alibi extent prolixè commemorata, nos hoc loco breuitatis cauſa nihil dicemus.

Veſcentibus autem ijs, accepit Ieſus panem, &c.

HIc huius vltimæ Chriſti cœnæ nouus & alius eſt actus, ad nouum teſtamentum inchoatum tantummodò pertinens, de quo etſi dici plurima poſſent, tamen de quæſtionibus præcipuis tribus tantùm hoc loco dicemus.

1. Quid ſint Sacramenta & propter quas cauſas illa à Deo inſtituantur.

2. Qualis ſit cœnæ Dominicæ ritus, Et quæ res in hoc ritu promittantur, exhibeantur & ſumantur.

3. Ad quid facienda ſit ſumptio, & quibus proſit.

DE PRIMA QVÆSTIONE.

Ingens eſt et inenarrabilis Dei bonitas, quòd non ſolùm prodiens ex arcano ſinu ac ſede ſua, ſeſe tradito certo verbo patefecit, ſed & externa & viſibilia ſigna promiſſioni gratiæ addidit, Qualia omnibus temporibus fuerunt, ſtatim à primis generis humani & Eccleſiæ initijs. His vſitatum Sacramentorum nomen ab Eccleſia attributum eſt, propter vſum horum et finem principa-

cipalem propter quem tradita ſunt. Eſt enim vocabulum Sacramentum militaris appellatio, qua exprimitur ac ſignificatur mutua & religioſa, eaq́ arctiſsima obligatio, qua ducibus milites, & militibus duces, ad officia militaria obligantur, & inter ſe adinuicem quaſi copulantur, qui ſub ducibus ac ſignis iiſdem militant. Ac ritibus illis ſeu ſignis à Deo ad promiſsionem gratiæ ſubinde additis, hac de cauſa attributa eſt hæc appellatio, quia & in his ſimilis eſt, & quidem multò religioſior ac ſanctior, magisq́ arcta inter Deum & homines obligatio ac copulatio, Quin & inter ipſam Eccleſiam & omnia eius membra his ſignis ac ritibus arctiſsima fit conſociatio ac copulatio. Oſtendit enim his ſignis Deus, offerre ſe promiſſionem, & in promiſsione contenta beneficia omnibus & ſingulis, & velle ea applicare & attribuere omnibus ac ſingulis fide illa accipientibus, Et velle omnes ac ſingulos his ipſis ſignis tãquam interpoſita σφραγῖδι, de promiſsione, omnibusq́ in promiſsione comprehenſis beneficijs cõfirmatos & certos eſſe. Viciſsim homines hæc ſigna à Deo accipientes, aut inſtitutis ritibus vtentes, teſtantur ipſo vſu, ſe offerenti ac promittenti Deo credere, & oblata beneficia fide amplecti, & ea ceu ſua propria ſibi vendicare, & applicare, & hac quaſi ſolenni traditione confirmatos & certificatos in promiſsione acquieſcere. Ita mutua fit inter

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Deum, & homines obligatio & copulatio. Poſtea ipſi Eccleſiæ ciues his ipſis ſignis ac ritib. inter ſe quoq; cõſociãtur & copulantur. Oſtendũt ſinguli in vſu rituũ, quid ſentiant, credant ac profiteãtur ſinguli, & his ipſis ritibus quaſi inſigniti, ab alijs agminibus aliud ſentientibus ac profitentibus, diſcernuntur, & ad officia mutua obligantur.

Eſt igitur accuratè & ſæpe cogitanda cùm ipſa appellatio, quæ per ſe dulciſſima eſt, tùm definitio huius vſitata, & cauſæ præcipuæ & principales, propter quas ritus illi à Deo traditi ſunt. Ac de appellatione plura hoc loco non dicam. Definitio verò vſitata hæc eſt: Sacramenta eſſe ritus externos, & in oculos incurrentes, ſeu ſigna viſibilia inſtituta à Chriſto, & addita ad promiſſionem gratiæ, vt commonefaciant vtentem, de promiſſione, & teſtentur promiſſionem gratiæ pertinere ad eos, quibus hæc ſigna tribuuntur & applicantur. Hanc definitionem veram ac rectam eſſe, certiſſimum eſt.

Cauſæ autem cur ritus tales omnibus temporibus Deus tradiderit & extare voluerit, hæ ſunt præcipuæ ac principales. 1. Vult Deus ſuas patefactiones notas eſſe, & hoc aſſiduo & perpetuo vſu rituum conſeruari & propagari.
2. Vult & ipſam promiſſionem gratiæ in conſpectu eſſe, & illuſtri teſtimonio viſibili oſtendere omnibus ac ſingulis, eamq; applicare, hoc eſt,

pro-

propriam facere, & veluti cum ſolenni ſtipulatione tradere ijs, qui fide eam accipiunt & amplectuntur. Nam cùm promiſsio ſit generalis, in vſu rituum teſtificatur Deus, promiſsionē certò pertinere ad eos, qui fide eam accipiunt. Atq; ita fides & vſus Sacramentorū faciunt eam propriam ſingulis credentibus. Et propter hanc cauſam Sacramenta dicuntur & ſunt ſigna voluntatis Dei erga nos, commonefacientia nos de promiſsione, & oſtendentia hanc illuſtri teſtimonio viſibili, & teſtificantia promiſsionem certò ratam eſſe ſingulis credentibus, et pertinere ad ſingulos fide eam accipientes.

3. *Vult Eccleſiam his ipſis ſignis conſpici & diſcerni ab alijs agminibus.* Quia vult ſingulos ſaluandos inſeri Eccleſiæ, & adiungi ad miniſterium Euangelij, ſicut dictum eſt, Quos elegit hos & vocauit. Sciendum eſt igitur, his ipſis ritibus Deum oſtendere ſingulis ſuam Eccleſiam, & diſcernere eam ab omnibus alijs gentibus, Et velle ſingulos auditores eſſe doctrinæ, quàm huic ſuæ Eccleſiæ mirandis teſtimonijs tradidit, Atq; imprimis velle eum ſingulos diſcere et fide amplecti promiſsionē Euangelij propriam, quam his ſignis oſtendit, confirmat & obſignat, Nec eos qui vocem Euangelij non audiunt, aut fide non accipiunt, nec ciues fiunt huius cœtus viſibilis, eſſe electos aut æternæ ſalutis hæredes

4. *Poſtremò, vt Eccleſiam, & promiſſionem Euangelij propriam his ſignis ac ritibus demonſtrat & oſtendit Deus, imò tribuit & donat ſingulis fide ea vſurpantibus, ita ſimul hæc ipſa ſigna ſeu hos ipſos ritus viſibiles, vult eſſe pignora confirmantia atq; obſignantia fidem ſingulorum, vt de promiſſione vnusquiſq; pro ſe ſit certiſſimus, ideo nominantur vſitatè ſigilla gratiæ, vt circumciſionem Paulus appellat* σφραγῖδα δικαιοσύνης, *hoc eſt, ſigillum iuſticiæ, quod non ſolum oſtendebat Abrahæ promiſſionem, ſed cum teſtaretur, promiſſionem ad Abraham pertinere eiusq; propriam eſſe, ſimul eum confirmabat & fidem velut obſignabat, vt de promiſſione eſſet quàm certiſſimus.*

Hæ præcipuæ & principales ſunt cauſæ rituum, quibus cogitatis poſtea in ſingulis Sacramentis aliæ ſeu ſignificationes, ſeu allegoriæ commodè addi poſſunt. Sed ſemper hæ principales primo cogitandæ & cæteris anteferendæ ſunt. De Sacramentis autem in nouo teſtamento inſtitutis quoties cogitamus, ſimul & hoc cõſiderandũ eſt, Cùm diuerſis temporibus Deus ritus diſſimiles ac diuerſos tradiderit, ac ſæpe ſeu mutarit, ſeu innouauerit: tñ abolitis priſtinis omnibus, Noui teſtamenti ritus ſolos, Baptiſmũ, videlicet, & cœnam Domini, vult eſſe immutabiles, et conſeruari in Eccleſia, vſq; ad reditum filij nouiſſimum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

mum, vt de cœna Dominica Paulus expreſsè inquit. Mortem Domini annunciantes, donec veniat. 1. Cor. 11. Ac cauſæ diuini huius conſilij cùm haud dubie ſint plurimæ, inter cæteras hæ non poſtremæ ſunt. Primùm, quòd vult illuſtri diſcrimine hos noui teſtamenti ritus diſcernere ab his, quos ante miſſum filium Dei in carnem, in Eccleſia patrum veterum voluit tantùm eſſe, ceu vmbras & picturas futurorum, vt Paulus de illis loquitur Coloſs. 2. Et ad Hebræos 8. Deinde, quòd non vult expectari patefactiones alias, aut verbum aliud, præter hoc quod miſſo filio tradidit in luce clariſsima, et teſtimonijs mirandis, imò ipſa morte & reſuſcitatione filij confirmauit, & in toto genere humano per Apoſtolos, & horum diſcipulos ac ſucceſſores, ſparſit ac propagauit. Propter huius ergo verbi ſui immutabilitatem, etiam ritus promiſsioni Euangelij additos prorſus vult eſſe immutabiles. Ac tantum de prima quæſtione hoc loco dixiſſe ſatis eſt.

DE SECVNDA QVÆSTIONE.

Quoties de cœna Dominica cogitandum eſt pijs, præſertim in his tumultibus & certaminibus de hac varijs, tutiſsimum eſt, referre eos oculos atq; animos ad primam hanc inſtitutionem, & cõſentientem de hac teſtificationẽ Euangeliſtarum, & Pauli, cuius quidem verba præcipuè attendenda & cogitanda ſunt, quòd ſcilicet, recitatu-

rus Dominicam inſtitutionem, & hanc abuſui, & deprauationi, quæ in Eccleſia Corinthiaca acciderat, oppoſiturus, præfatur: A Domino ſe accepiſſe, quod tradiderit ipſis. ijs .n. verbis perſpicuè oſtēdit, ritum hunc grauiſſimo cōſilio filij Dei ſic inſtitutū & ſancitum eſſe, in vltima ipſius cœna vt & Apoſtolis de hac diſputatio vlla, aut inquiſitio curioſa non ſit permiſſa, ſed ſimpliciter eos, & inſtitutione Chriſti, et vltimæ illius cœnæ exemplo, tanq̃ Canone perpetuo & immutabili contentos eſſe oportere. Imò ſe vocatum ad propagationem Euangelij inter gentes, cum vltimæ illi cœnæ non interfuerit, ad hanc tamē ab ipſo Domino ceu deductum & alligatum eſſe. Hæc præfatus, verba Chriſti repetit, quibus eum in inſtitutione vſum eſſe Euangeliſtæ conſentientes teſtantur. Ex illa ergo Chriſti inſtitutione ac cœna prima, tutiſſimum eſt, pias mentes diſcere, ac deſumere ſine diſputatione, quid de cœna Domini ſentiendum ſit, qualis, videlicet, ritus ſit, quid in illo promittatur, exhibeatur ac ſumatur. Eſt enim res manifeſta & certa piè aſſentientibus Chriſti verbis, & ſenſum alium non affingentibus. Ac in cogitatione eius remoueri oportere imaginationes ac ſpeculationes humanas & carnales, vel ſola myſterij huius magnitudo, & rerum quæ promittuntur dulcedo, ac conſentiens Euangeliſtarum & Pauli de dictis & geſtibus Chriſti narratio conuinçat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

uincunt. Sumit in manus ſuas filius Dei propoſi-
tum in cœna panem & vinum. His precatione ar-
dentiſsima benedicit, ac finita benedictione Apo-
ſtolis ea manducanda & bibenda exhibet, cum hac
perſpicua & non obſcura profeſsione & aſſeuera-
tione, Corpus ſe ſuum in mortē pro nobis traditum,
& ſanguinem ſuum in remiſsionem peccatorum no-
ſtrorum, & cōfirmationem teſtamenti noui, hoc eſt,
promiſsionis gratiæ, quæ ſumma & æterna eſt, ef-
fuſum, manducandum & bibendum exhibere. Et
hæc non tunc tantùm facere eos, cum commemora-
tione ſeu recordatione ſui, iubet, ſed ſæpe id fieri
præcipit. Imò vt Paulus id declarat, vult vſq; ad
reditum ipſius nouiſsimum, ritum hunc in publicis
Eccleſiæ congreſsibus cum annunciatione mortis
ſuæ, conſeruari & propagari. Ac tum primo eum
ſanciens, in aſſeueratione de re exhibenda & do-
nanda, videlicet, de corpore & ſanguine ſuo, ſic
loquitur, vt rem nondum geſtam, & præteritam,
ſed poſt horas paucas gerendam & perficiendam,
iam tum in actu eſſe oſtendat: Corpus, inquit, quod
pro vobis traditur, & ſanguinem, qui in remiſsio-
nem peccatorum pro multis effunditur, offero vo-
bis manducandum & bibendum. Hac tam em-
phatica promiſsione & aſſeueratione, directa ad
id, quod agebatur tunc, etſi nondum abſolutum ac
perfectum erat, haud dubiè ea de cauſa Dominus
vti voluit, vt omnibus, qui poſt ipſius paſsionem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

mortem & reſurrectionem, cœnam hanc in illo poſtremo agone ſuo inſtitutam repetituri, & exemplo ac mandato ipſius celebraturi eſſent, certò conſtaret, idem ipſis corpus, & ſanguinem eundem, ab ipſo filio Dei manducandum & bibendum promitti, & exhiberi in hac cœna, quod tradi in mortem, & quem effundi in remiſsionem peccatorum, Apoſtoli audierant in prima cœna, & paulò pòſt oculis ſuis viderant. Etſi igitur neque ſenſibus humanis, neque ſapientia humana vlla comprehendi aut intelligi poteſt, quomodo id quod promittit Dominus, exhibeatur ac tradatur veſcentibus ac bibentibus in hac cœna: tamen cùm promiſsio & aſſeueratio Domini manifeſtior ſit, quàm vt caligine vlla præſtigiarum obſcurari poſsit, reuerenter Domino promittenti aſſentiamur & credamus. Cumq́ hæc ipſa inſtitutio, & huic adiuncta promiſsio myſterium ſit inperſcrutabile, in obſequium fidei, & ſenſus & ſapientiam humanam omnem captiuemus. Et, vt monent veteres, nulla teneamur ambiguitate, certò Dominum, quod promiſit, exhibere ac præſtare, Ac vere cœnam hanc Dominicam, in qua exemplo & mandato Chriſti panis & vinum ſumitur à veſcentibus & bibentibus, ſumptionem eſſe corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, In qua, etſi præter miniſtrum diſtribuentem panem & vinum oculi aliud nihil cernunt, ſenſus & ratio præter

panem & vinum aliud nihil percipiunt aut intelligunt: tamen reuera filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus adeſt & efficax eſt, dans & exhibens ipſe per miniſtri manum, corpus ſuum manducandum, & ſanguinem ſuum bibendum, vt teſtetur, certò ſe recipere nos credentes, & ablutos ipſius ſanguine à ſordibus peccatorũ, ſua nos membra facere, quibus det remiſsionem peccatorum, iuſticiam, & vitam æternam, quosq́ vt plantulas & palmites emorituros, corpori ſuo tãquam ſtirpi & viti viuenti ac viuificanti inſerat in tota æternitate à ſe geſtandos ac viuificandos. Talem ſciamus cœnam Domini ritum eſſe, et hæc nobis bona arcana & miranda offerri & exhiberi à Domino non dubitemus. Diſputent verò de hac promiſſione Domini alij, quantùm volent, nos quod verba & contextus narrationis offerunt & ſonant, fide ſimpliciſsima amplectamur, Nec nobis eripi patiamur quod ceu interpretans Paulus. 1. Cor: 10. docet: Calix benedictionis cui benedicimus, communicatio eſt ſanguinis Chriſti: Panis quem frangimus, communicatio eſt corporis Domini. Sciamus dato & accepto, iuxta mandatum Chriſti, cœnæ huius pane & vino, vere nobis dari & exhiberi, & verè à nobis manducari & bibi corpus, & ſanguinem Domini. Modum, quo id fiat ne inquiramus aut diſputemus curioſe, ſed cum admiratione potius veneremur ac ſuſpiciamus. Ac ſe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

poſitis curioſis aliorum diſputationibus, de cauſis inſtituti tanti myſterij, & de vero ac ſalutari eius vſu cogitemus.

DE TERTIA QVÆSTIONE.

Præcipua hæc pars eſt in conſyderatione huius myſterij, quam nos tamen breuiter hoc loco expediemus. Quia alibi prolixè & eruditè ab alijs expoſita eſt. Vſitata autem & vera reſponſio eſt. Faciendam eſſe ſumptionem corporis & ſanguinis Chriſti, ad confirmandam fidem. Res verò quæ breuibus hiſce verbis ſignificantur, maximæ ſunt & conſyderatione digniſſimæ. Opponitur hæc reſponſio falſiſſimæ, ſed, proh dolor, latè regnanti perſuaſioni vulgi, qua exiſtimant ferè innumerabiles homines, vſum Sacramenti huius ex opere operato, vt olim Pontificij locuti ſunt, mereri remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Opponitur & horribili prophanationi & idolo Pontificio, quo fingunt, à Sacrificulo offerri corpus & ſanguinem Chriſti, & hanc oblationem mereri remiſſionem peccatorum, facienti & alijs, viuis & mortuis, Et affingunt alios magis tetros errores, mereri hoc opus bonos euentus in negocijs corporalibus, in mercatu, in profectionibus, in venationibus, & alijs ſimilibus. Hos furores ſimiles ethnicorum, ſciamus breui hac reſponſione taxari & refutari, Cùm dicitur, tantùm inſtitutam eſſe ſumtionem, & hanc ſolam habere rationem Sacramēti,

& faciendam eſſe ad confirmandam fidem. Ac prius quidem manifeſtū eſt cùm ex verbis inſtitutionis, quæ perſpicuè de ſumtione tantùm loquuntur, tum ex regula, quæ certiſſima eſt & immota, Quòd ſcilicet Sacramenta actiones ſunt certi generis, quæ tantùm in vſu inſtituto, & eo tali, ſicut inſtitutus eſt, Sacramenti rationem habent. Eſt & alterum ex verbis inſtitutionis manifeſtum, Quia inſtituitur ſumptio cum addita determinatione, vt fiat in fideli recordatione mortis Domini, hoc eſt, in cogitatione & celebratione omnium beneficiorum, quæ morte ſua filius Dei Dominus noſter Ieſus Chriſtus acquiſiuit. Non enim loquitur Dominus tantùm de hiſtoria, ſed de recordatione, quæ fide accipit beneficia filij Dei, & in veris doloribus, cogitans mortem Filij Dei, in partis beneficijs acquieſcit & erigitur. Sciant igitur vtentes, ſummam doctrinæ Euangelij de omnibus articulis fidei, ac nominatim de beneficijs filij Dei, & de applicatione eorum ad nos, per fidē in vſu Sacramentorum. Et acceſſuri ad hoc myſterium probent ſemetipſos, vt Paulus monet, & ſic ex pane hoc edāt, & de poculo hoc Dominico bibant, hoc eſt, adferāt ad vſum cœnæ conuerſionem ad Deū & fidem, non ſint Epicurei, non athei, non perſeuerēt in delictis contra conſcientiam, non ſint membra diabolorū, de quibus ſcriptum eſt: Qui facit peccatū, ex diabolo eſt, Sed vero & ſerio dolore peccata ſua agnoſcāt,

&

& deplorent, Et viciſsim fide filij Dei ſeſe erigāt, eamq́ in hoc ipſo vſu cœnæ exuſcitent ac confirmēt. Fit enim applicatio beneficiorum filij Dei, propria cuiusq́ fide, ſicut dictum eſt: Iuſtus fide ſua viuet. Eſtq́ certiſsima regula: Nequaquam prodeſſe cœnæ Domini vſum his, qui ſunt membra diaboli, vt Epicureis & alijs, qui perſeuerant in delictis contra conſcientiam. Neq́ prodeſſe talibus qui etiamſi non viuunt in delictis contra conſcientiam: tamen nō adferunt fidem, quæ eſt fiducia, quòd propter filium Dei, & per eum verè accipiāt remiſsionem peccatorum, & ſint membra eius, & purificati ſangine eius &c. Hæc ergo fides, ſeu fiducia principale eſt, quod in ſalutari vſu huius cœnæ requiritur, et propter hanc confirmandam actio tota, & quidem cum promiſsione tam miranda & arcana inſtituta ac ſancita eſt. Itaq́ quomodo fides confirmetur, cogitandum eſt. Offert ac promittit filius Dei ſingulis acceſſuris corpus & ſanguinem ſuum, & certò hæc veſcentibus ac bibentibus panem & vinum, exhibet. Nequaquam enim cœna hæc inane ſpectaculum eſt, nec abſentem tantùm Chriſtum ſignificat, vt ſtatua Herculis aut Orphei ſignificat eos abſentes, ſed in vſu cœnæ verè adeſt Chriſtus viuens, & eſt in ſumentibus efficax. Et hanc ipſam ſumptionem vult eſſe teſtimonium & pignus, quòd ſit in credentibus & habitet in eis, & ſit in eis efficax, iuxta dicta, Iohan. 14. In die

Illo cognoſcetis, quòd ego in patre meo ſim, & vos in me eſtis, & ego in vobis, item Iohan: 15. Manete in me, & ego in vobis, Item, Qui manet in me, & ego in eo, fructum multum feret. Teſtatur ergo filius Dei, hac ipſa traditione & exhibitione ſui corporis & ſanguinis, quòd adiungat ſibi credentes tanquam membra, quòd ſuo eos corpori inſerat. quòd geſtet ac viuificet eos, quòd aſſiduè velit in eis eſſe efficax, quòd abluere ac purificare eos ſanguine ſuo velit. Hæc ingentia bona ſingulos vult accipere, vult ſingulos his bonis lætari, & de his eſſe quàm certiſſimos, imò traditionē hanc ſingulis vult eſſe pignus ac ſigillum, qua fidē ſuā bona hæc credentem & accipientem obſignent ac confirmēt. Accedens ergo ad cœnam Domini, & bona promiſſa & oblata accipiens, filio Dei reuerēter credat, petat eius ſocietatem, & reliqua beneficia. Imò ſancti qui hac fide accedunt, vſu ipſo teſtantur, quod hæc bona certo credant, petant & accipiant, quòd his lætentur totò pectore. Deniq; fit inter filium Dei, & vtentes hac cœna fide fedus dulciſſimum & arctiſſimum, quod ſumma eſt & dulciſſima fidei obſignatio & confirmatio. Accedunt in ſanctis & alij fines & fructus, Gratiaram actio, Inuocatio, Dilectio, patiētia, ſpes & aliæ virtutes.

His igitur ſolis, qui hoc modo ad cœnam Domini accedunt, & hæc omnia piè ac reuerenter cogitant, prodeſt cœnæ Dominicæ vſus. Alijs hæc

non

nō cogitantibus neq; accipientibus fide, vſus cœnæ fit noxius, vt Paulus inquit: Qui mãducat indignè fit reus corporis & ſanguinis Domini, item, Iudicium ſibi manducat, non diſcernens corpus Domini. Sed nolo de hac tota cauſa hoc loco eſſe prolixior, quare ſepoſitis quæſtionibus alijs ad ſequentia accedo, & hiſtoriam paßionis vt cœpi pertexo.

Ante feſtũ Paſchæ, ſciens Ieſus, &c.

HInc Iohannes auſpicatur cœnæ deſcriptionẽ, qui prioribus duobus actibus de agno Paſchali, & cœna myſtica prætermißis, vt ſublimioribus tãtùm intentus Euangeliſta, tertium actum de expurgatione veteris hominis, quæ plenè reuelanda eſt in fine ſæculorum, copioſè exponit. Etſi aũt hæc iuxta hiſtoriam intellecta de ſtudio humanitatis, et humilitatis vtilem doctrinã continent, quam Chriſtus ipſe poſtea diſcipulis commendare videtur: nihilominus apertè conuincunt & verba textus, quòd hoc ſuo facto præfigurarit Chriſtus aliquid illa communi ſapientia ſublimius & arcanius, quod ne Petrus quidem tantus Chriſti diſcipulus tunc intelligere potuerit, quare nihil abſurdi erit, ſi hæc allegoricè explicabimus: quemadmodum & Apoſtoli ſubinde Biblicas hiſtorias explicuerunt.

Initio, quæ tam prolixè Iohannes Euangeliſta præmittit, manifeſtè etiam conuincunt, quòd arduum hic Dominus opus hoc ſuo

facto

facto præfigurare conſtituit. Neq; enim ſine cauſa tot verba funderet, niſi beatum aliquod nouiſſimi ſæculi tempus ijs depingeret: quare & eius prolegomena diligenter conſideranda ſunt. Primùm autem inquit Euangeliſta: Sciens Ieſus, quod veniſſet hora ſua, vt tranſiret ex hoc mundo ad patrem, ac ſi diceret: ratione temporis mouebitur tandem Dominus, vt ea, quæ cœpit in Sanctis ſuis perficiat, quippe hæc ſen tentia ſequentibus quoq; exprimitur, cùm illam horam Iohannes nominat, qua Domino redeundũ ſit ad Patrem, à quo venit: Etſi enim id vſitatè accipi ſolet, de externa Chriſti paſſione, & morte, quòd ita quoq; mox hominum conuerſatione relicta corporaliter cœlos conſcenderit: Hic tamen loquitur potius Euangeliſta de ſpirituali Chriſti tranſitu, quo per Spiritũ veritatis in ſuis membris ab omni mundani, terreni, humaniq; intellectus imperfectione tandem rediturus eſt Dominus ad patrem ſuum, hoc eſt, ad illam æternam, ac diuinam ſui patris maieſtatem, lucem, ſapientiam, & iuſtitiam, in qua ab æterno cum patre ſuo reſplenduit. Vt enim per mundum intelligit vitioſitatẽ, tenebras, errores, miſeriam, & mortalitatem, ſic nomine patris diuinam lucem, iuſticiam, & vitam exprimit. Huc & nos tandem perducturus eſt: et illa demum erit ve-

 ra Chri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ra Chriſti glorificatio, quam ſolam humiliatione ſua intendit. Nam ſi ſe noſtri cauſa humiliauit, ſanè tantùm id quæſiuit, vt nos commodè ſecum exaltaret, ſiquidem in propria ſua perſona ſemper altißimus cum Patre & Spiritu ſancto fuit: Nec ſibi maiorem aliquam exaltationem quærere potuit: Sed humiliatus nos (quando & ipſi vnà cum eo prius humiliati, et mortificati erimus) exaltare tandem inſtituit. Hoc itaq; innuitur, cùm Chriſtus ad Patrem ſuũ rediturus dicitur, quod videlicet nos per Spiritum ſuum ſanctum ad Patrem ſuum reducet. Huc faciunt et illa quæ ſubiunguntur in textu:

Cùm dilexit ſuos, qui erant in mundo, vſque ad finem dilexit eos.

Siquidem hinc diſcimus non tantùm eſſe Chriſto quoſdam in mundo, ſeu genere humano, quos præ alijs agnoſcat pro ſuis, conuerſos nimirum, & conuertendos ad ipſum quos & ſolos vſq; ad finem ille dilexit: Sed etiam Chriſti dilectionem eſſe eius naturæ, vt vbi accenſa eſt, non citò deſinat, & euaneſcat, ac ſi cruce, & aduerſitatibus frangi, ſeu defatigari poßit, ſed vt ſemper magis, ac magis excreſcat; & perſeue-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ret eò vſq;, dum ad optatum ſalutis finem dilectos perduxit. Finis enim non indicat hoc loco Chriſti mortem, ſed Chriſti dilectionis conſummationem, eſtq́; phraſis Ebraica לָנֶצַח id eſt, perſeueranter, victorioſè, finaliter, exantlatis videlicet, & deuictis omnibus impedimentis. Eſt itaq; ſententia, quòd Chriſtus Dominus, poſtquam ſuos dilectos diligere cupit etiam cùm nondũ ab inquinamentis mundi liberi fuerunt, adeo vt nec ipſe propter eos in mundo verſari, & peccata ſuorum ferre grauatus ſit, illam inchoatam ſuam dilectionem tandem etiam conſummabit, cùm ab omnibus eos vitijs intus, & exterius expurgabit, id quod in fine ſæculi futurum hac pedum Apoſtolicorum ablutione præfigurauit.

Nec aliter ea, quæ ſubiunguntur: cùm cœna eſſet, & cùm Diabolus immiſiſſet in cor Iudæ, vt proderet Chriſtum: quanquam ſunt hiſtorica, docentq́; ſumma Chriſti beneficentia reprobos non tàm leniri: quàm indurari magis, nihilominus interim etiam tanquã notulæ ſunt, quibus innuitur quando ſumma Chriſti bonitas declaranda ſit. Nam, vt cœna Chriſti miniſterium verbi ſignificat, in quo ipſe, velut accumbit, & ſe per Verbum, & Sacramenta fideli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

bus adminiſtrat, ſic hæc oratio: Cùm cœna eſſet, indicat tum ſpirituale Dei Regnum expectandum eſſe, cùm externum Verbi miniſterium in maximo ſuo flore erit, & ad ſummum puritatis gradum peruenerit: quò nunc per Lutherum, aliosq́ pios Doctores euecta videtur. Et induratio Iudæ notat etiam ſub illud tempus hypocritas indurandos, & obſtinatis animis veritati, dilectioniq́ Chriſti repugnaturos eſſe, quod futurum & Chriſtus alibi prædixit his verbis: Quia ſuperabundabit iniquitas, frigeſcet charitas multorum: Non enim prius Chriſtus in ſanctis ſuis matureſcet, quàm in mundo Diabolus adoleuerit: ſicut ferè zizania tritici maturitatem præuenire ſolent.

Deinde quòd addit Euangeliſta: Sciens Ieſus, quòd omnia ſibi dediſſet Pater in manus, & quòd à Deo exiiſſet, et ad Deum iret. Magnũ & ſublime quid hic à Chriſto præfigurandum eſſe denuò monet, mouebitur enim Dominus ad Eccleſiæ ſuæ coronidem imponendam hac cogitatione, primùm, quòd omnia tradidit ipſi Pater in manus, quodq́, adeo nulla hominis peruerſitas eius opus impedire poßit, quò minus ad finem deſtinatum perducatur. Deinde, quòd à Deo exierit, id eſt, quòd ſeſe humiliauerit, & elementis huius mundi ſubiecerit, quod ad Deum

rurſus

rurſus iret non ſolus, verum cum corpore ſuo, Eccleſia, quam etiam ex hac terrena conditione tandē eo vult euehi, vt cœleſtem ſui Patris vitam, & ſapientiam concipiat, ac Deo vniatur.

Hæc itaq; Chriſtus cùm ſciet, & velut in memoriam reuocabit: Primùm ſurget à cœna, id eſt, relicta curioſitate de miniſterio, doctrinæq; puritate conſeruanda, ſublimius quid, vt meram ſui dilectionem in ſilentio & ſpe reuelare pijs aggredietur. Deinde ponit veſtimenta, hoc eſt, diuinam ſuam eſſentiam, ac puram indolem nudè ſine vllis inuolucris conſpiciendam dabit. Nam in hoc ſæculo propter noſtram cæcitatem ac ruditatem ſe verbo ad noſtrum captum accommodato, & Sacramentis externis, veluti veſtibus quibuſdam, quo ſic nobis inſinuetur, inuoluit, & occultat. Quia apertam tantam eius maieſtatem nequaquam ſuſtinere poſſemus, verùm in fine ſæculorum, cum Eccleſia perueniet ad maturitatem, illa inuolucra, tanquam veſtes, ac alas, quibus faciem pedesq; ſuos, more Zeraphim hactenus texit, deponet & exuet, vti deinceps, qualis eſt, in Spiritu, veritateq; æterna cognoſcatur.

Hinc linteo accepto præcinget ſe &c. Per linteum hoc intelligo veritatem, de qua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Paulus Eph 6. State præcincti lumbos veſtros veritate, quæ nimirũ tum hypocriſi, tum vmbris, & figuris præmiſſis opponitur. Quanquã enim ab initio ſemper in Eccleſia fuit veritas, quatenus erroribus, mendacijs, & hypocriſi, ne dicam etiam vmbris aliquibus antiquatis opponitur, tamen ſolida, pura, mera, perfectaq́; veritas, hoc eſt, conſummata dilectio poſtremis demum temporibus manifeſtabitur. Præcinget autem ſe Chriſtus ea, non reſpectu ſuæ perſonæ, quia ab æterno eam habuit, ſed quatenus eſt in Eccleſia, caput ac Dominus eius, vt Eccleſiæ nimirum hac ratione tandem hoc puriſſimæ, & plenæ dilectionis linteo præcinctus inſeruiat: Sicut antea per typos, & ænigmata, veluti craſſis veſtibus occultatus ei ſe depinxit magis, quàm patefecit. Huc referantur Apoſtoli verba: Dilectio nunquam excidet, ſiue Prophetiæ abolebuntur, ſiuæ linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia veteraſcet: Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetamus. quum autẽ venerit, quod perfectũ eſt, euacuabitur, quod eſt ex parte, cum eram paruulus, loquebar vt paruulus, ſapiebam vt paruulus, ratiocinabar vt paruulus: Cùm autem factus ſum vir, antiquata ſunt puerilia. Videmus enim nunc per ſpeculum in ænigmate,

tunc autem facie ad faciem, nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut cognitus ſum.

Quartò miſit aquam in peluim. *Aqua ferè notat in ſcriptura tribulationem, vt, cùm inquit: Venerunt aquæ vſque ad animam, & iuimus per ignem, & aquam, & venimus in refrigerium. Peluis autem ſignificare videtur lympidum Spiritus ſancti miniſterium, quale, ceſſantibus externis omnibus, de induendo Chriſti Spiritu, reliquum poterit manere ante reſurrectionem corporum. Præfigurauit itaq; Chriſtus hoc ſuo facto, quòd nouiſſimo tempore fundet aquam in peluim, hoc eſt, reuelabit doctrinam lympidam quidem, id eſt, puram & ſpiritualem, ſed luctuoſam & grauem homini vetuſto, ſeu carni, per quam doctrinam corda piorum, quos Deus à ſordibus omnibus penitus expurgabit, prius afflictionibus, et anguſtijs velut aqua macerentur, et mortificentur. Lux enim illa Dei, niſi noſtra perierit, nunquã emicabit: ac in quantum nobis ipſis morimur, in tantum Deo viuere poſſumus: Non bene conueniunt inter ſe, nec in vna ſede morãtur carnalis, et ſpiritualis læticia. Præcedet igitur triſtitia, qualis non fuit anteà, nec poſtea ſequetur, qua nimirum abnegabimus nos ipſos, et facti pauperes ſpiritu nullam in toto*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

mundo conſolationem reſpiciemus, ſed abdicati, & velut ablactati à concupiſcentia noſtræ carnis, vt infans ab vberibus maternis, mortem Chriſti quotidie crucifixo animo circumferemus.

Quintò incipiet lauare pedes diſcipulorum ſuorum, hoc eſt, affectus piorum expurgare. Nam vt per manus opera, ſic paſſim in ſacra Scriptura per pedes denotantur affectus. Vt enim pedibus terræ, quam calcant vbiq;, puluis inhæret, & lutoſæ viæ ſordes agglutinantur: ita noſtris affectibus non tantum adnata eſt contagioſa primi parentis malicia, ſed etiam illa per terrenam conuerſationem, & inſidioſas huius vitæ curas, quibus nuſquam non implicamur, magis indies augetur. Vnde niſi Chriſtus eos lauet, alioquin nullo modo purgari poſſunt. Hos igitur pedes, id eſt, affectus, Chriſtus à ſordibus eluere, macerareq; incipiet aqua tribulationis, et anguſtiæ ſpiritualis. Vbi enim huiuſmodi mortificationis affectus concipitur, ibi ſtatim ferocia, ſuperbia, iracundia, vindictæ cupiditas, auaricia, ſtudiumq; terrenæ voluptatis, & vetus homo totus interit. Notandum tamen, quod ait Iohannes: Cœpit lauare: non enim vno tempore perficiet hoc opus, ſed paulatim ad perfectionem eius progredietur, vt vix ipſi pij ſint aduer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

aduerſuri ſuæ ablutionis augmentum: nec eodem ad omnes momento perueniet, ſed incipiet à paucis, & per eos ad reliquos procedet, quicunq; ſuſtinebunt eius eſſe diſcipuli, propriamq; ſapientiam, inſtar puerulorum abnegabunt, quò ipſum ſequantur.

Poſtremò: Non tantùm lauabit madefactos aqua piorum affectus: verum tergit etiam linteo, quo præcinctus erit, id eſt, in illis mœroribus diuinam conſolationem affundet à ſuæ iuſticiæ, veritatis, ac dilectionis eſſentialis luce: nec ſic ira Dei, ſenſuq; peccatorum relinquit ſuos oppreſſos, vt non ſimul, & gratiam, & pacem, læticiamq; ſpiritualem ijs indole ſua ſancta deguſtandā præbeat. Vt enim per aquam afflictionem accepimus, ita recreationem in abſterſione rectè ſignificari dicimus. Quod autem abſterſio fiet linteo, quo ipſe præcinctus eſt, pulchra imago eſt, quòd iuxta Pſalmum in ipſis lumine videbimus lumen, cùm nimirum ab ipſius Spiritu ſancto firmam conſolationem, & veram animorum puritatem hauriemus. Nunc reliqua in textu videamus.

Venit igitur ad Simonem Petrum, & dixit ei ille: Domine tu mi-

hi lauas pedes? Reſpondit Ieſus: quod ego facio tu ignoras nunc, ſcies



autem poſtea. Dicit ei Petrus: Nequaquam lauabis pedes meos in æternum. Reſpondit ei Ieſus: Niſi lauero te, non habes partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

pedes meos tantùm, ſed & manus, & caput. Dicit ei Ieſus: Qui lotus eſt, ei non opus eſt, vt quicquam præter pedes, lauetur, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes, nouerat enim proditorem ſuum, propterea dixit: non omnes mundi eſtis.

SEcundûm hiſtoriam docet nos hoc exemplum Petri, primùm, vt reuereamur maiores, iiſq́ nos velut indignos eorum officio, ſubijciamus. Deinde ne etiam verbo Dei præfractè repugnemus, neq́ ei quicquam vel addamus, vel demamus iuxta mandatum Deut. 4 &c. Sed nos in allegorico ſenſu progrediemur. Præfiguratur itaq́ hac imagine Chriſti, qua Petrus introducitur ipſi repugnare, futurum, vt initiò (cùm Chriſtus hoc modo ſurget à cœna ſua, veſtesq́ deponens ipſe conſpicuus in æterna ſui ſpiritus indole mortificare ſanctis veterem hominem incipiet, & viuificare nouum) ſapientiſsimi, & honeſtiſsimi quiq́ ſint ei repugnaturi, prætexentes primùm ſe indignos eſſe, quibus hæc tanta Dei bonitas exhibeatur, et qui ſic à maculis omnibus expurgari, Deoq́ vniri

poſsint

poſsint in hac vita. Deinde cùm iam ex Verbo, ſpirituq; Dei plenè conuicti erunt, eſſe planè neceſſarium, vt, quicunq; cum Chriſto partem habere cupit, ſinat ſuos affectus à ſancto Chriſti ſpiritu penitus expurgari, ne tum quidem ei ſimpliciter obedient. Sed eandem curam inſtitui volent de lauando capite, & manibus, hoc eſt, non diſcedent ſtatim à priſtina curioſitate de forma doctrinæ morumq; externorum conſtituenda. Nam vt caput, in quo cerebrum eſt, doctrinam notat, ita manus opera referunt in Scriptura. Sed his occurret Chriſtus, ac teſtabitur per ſuum Spiritum ſanctum, Primùm nos eſſe rudes, ac nihil intelligere de ſublimibus Dei iudicijs, adeoq; conuenire, vt, veluti pueri ſinamus nos à Deo regi ſine propriæ ſapientiæ opinione. Deinde teſtabitur eſſe neceſſarium, vt omiſsis doctrinis, & ceremonijs humanis, diuina, perfectaq; ipſius indole vitaq; & pace donemur. Cùm enim tempus vindemiæ, ſeu maturitatis Eccleſiæ venerit, qui nec tunc ab imperfectione priſtina recedere ſuſtinebit, Deum offendet, & ad iram, ac vindictam proculdubio prouocabit: Non minus quàm Patrem quempiam inſipiens filius, qui nec adultus iam luſum puerilem omittit, ſed pergit nihilo minus ludere par impar, equitare in arundine longa, quem-
admo-

admodum Petro Dominus hic iraſcitur, eiq́; regnum negat, niſi pedes eius ipſe lauerit. Sinamus igitur à Spiritu Chriſti nos perſuaderi, eoq́; pertrahi, vt nocte, dieq́; ad perfectam dilectionis eius imaginem ſuſpiremus, nimirum aliter iam, quàm ſecundum carnem, ſeu naturaliter affecti.

Tertiò teſtabitur tum Chriſtus in ſuo Spiritu, non eſſe poſtea multum laborandum vel de doctrina, ſcientiaq́; humana, vel de operibus externis, cùm illa partim ſatis rectæ tum erunt conſtituta, partim antiquabuntur: Sed tantùm de internis, & ſpiritualibus animorum affectibus per mortificationem, & viuificationem conformandis. Id enim volunt verba Domini: ei, qui lotus eſt, nihil opus eſt, quàm vt pedes lauentur: quia eſt alioqui mundus totus. Siquidem lotus is hoc loco dicitur, qui doctrinam catholicam iam antea perdidicit baptizatus, fidemq́; & bonam conſcientiam retinuit. Talis eſt mundus totus, & placet Deo, dum non maiorem lucem oblatam reſpuit, ſed dum paratum ſe præbet, vt à Spiritu Chriſti manifeſtato pedes ipſi lauentur. Si enim id abnuit, prior puritas euaneſcit, & nihil conducit, vt aliquam cum Chriſto partem obtineat. De priore illa mundicie loquitur Chriſtus in ſequentibus, cum ait:

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Et vos mundi eſtis, quaſi diceret: placetis Deo, etiam nunc illam perfectionem, nondum reuelatam vobis, ignoratis. Verùm addit: Non tamen omnes, nouerat enim (id quod ſæpè repetit) proditorem ſuum, Propterea dixit: Non omnes mundi eſtis, quia nimirum Iudas non habebat fidem & bonam conſcientiam, ſed erat hypocrita. Magnum enim diſcrimen eſt etiam ante conſummationem, inter verè pios, & hypocritas.

Hæc ſic allegoricè placuit explicare, nec dubito, quin huc præcipuè Chriſtus in hoc ſuo facto reſpexerit. Cùm enim Petro dixit: Quod ego facio, tu ignoras nunc, ſcies autem poſtea, non eſt veriſimile eum de externa humilitate, & humanitate, quam poſtea diſcipulis commendare videtur, eſſe locutum, cùm illæ virtutes ne Philoſophis quidem, ne dicam vulgo gentilium, nedum Petro tàm diu Chriſtum ſecuto fuerint ignotæ. Sic & illa verba: Niſi lauero te, nō habebis partem mecum, apertè iubent aliam ablutionem, quam illam elementarem, inquirere, ne de tertia Chriſti ad Petrum reſponſione quicquam vlterius adijciam, Nam omnes euidenter ſublimius quid præ ſe ferunt, vt ex his, quæ pro noſtra tenuitate adſcripſimus, cuiuis manifeſtum eſſe poteſt.

Cùm itaq; lauit pedes eorum, & accepit veſtimenta ſua accumbens rurſus dixit eis: Scitis, quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſtrum, ac Dominum, & rectè dicitis, ſum enim. Si igitur ego laui veſtros pedes Dominus & Magiſter veſter, etiam vos debetis alter alterius pedes lauare, exemplum enim dedi vobis, vt, ſicut ego feci vobis, & vos faciatis. Amen, amen dico vobis, non eſt ſeruus maior Domino ſuo, nec legatus eo, qui miſit ipſum. Si hæc ſcitis, beati eſtis, cum feceritis ea.

PRæcipuam Chriſti intentionem de externa pedum lotione non fuiſſe ſuprà præmonuimus, quanquam hanc diſcipulis nunc præpoſuiſſe videtur, quia capere eam vel illo tempore potuerunt, aliam ob ruditatem eorum ad tempus occultam ijs reliquit, nec id mirum, nam vnum, idemq; factum vſus habere poteſt varios, quo-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

rum quidam nunc, quidam alio tempore, & coram alijs auditoribus magis conueniunt. Vt ex facto (Dauidis exempli cauſa) quod coram arca ſaltauit nudatus, alias humilitas Regis, alias religioſitas commendari poteſt: & ex Baptiſmo iam ad fiduciam gratiæ Paulus iam ad conuerſionem hortatur. Quare cum præcipuam in hoc facto Chriſti intentionem qualitercunq; declarauimus, nunc rudibus aptiorem audiamus. Etſi enim ea vix vllam explicationem requirit, quod per ſe manifeſta ſit ex textu, quatuor tamen hæc breuiter hinc diſcimus: Primùm, quòd ſit Chriſtus, vocariq; debeat Magiſter ac Dominus noſter, imò quòd ſolus hoc titulo ſit dignus, & quòd nullus meritò ſibi poßit eum arrogare, qui cum ipſo nihil habet commune. Secundò quod Chriſti vita ſit nobis exempli loco propoſita, vt ſic, & non aliter nos geramus in hoc ſæculo, quàm ipſe ſe geßit in humilitate, modeſtia, clementia, manſuetudine, patientia &c. Tertiò, cùm certißimum ſit nullum ſeruum eſſe Domino ſuo maiorem, nullumq; legatum eo, qui miſit ipſum, eſſe digniorem, patet, quòd Apoſtoli, reliquiq; miniſtri Verbi pij omnes, qui certè nihil amplius, quàm ſerui, legatiq; ſunt Chriſto, ſeſe etiam humiles, ac officioſos inferioribus præbere, pedesq; eorum ſi opus fuerit, lauare

tene-

teneantur. Quartò, vtilem eſſe diuinæ volun-
tatis cognitionem tum demum, quum, quæ no-
uimus Deo placere etiam ad opus, ac vitam ac-
commodare ſatagimus. Tribuit autem Chri-
ſtus hoc loco beatitudinem operi tanquam fru-
ctui, qui florens radicem, nempe fidem beatifi-
cam vigere teſtatur, nam qui ſciunt aliquid de
voluntate Dei, nec id ipſum facere ſtudent, ne-
quaquam veram, & ſaluificam fidem habent,
nec re vera ſunt beati. Porrò, quòd mutuò nobis
inuicem pedes lauare iubemur à Chriſto, poſſu-
mus etiam allegoricῶs interprætari, næuos vi-
delicet aliorum non eſſe nimium exagitandos,
ſed tegendos potius, & ignoſcendos, vt hoc loco
ſubinde Philippus Melanthon monere ſolet.
Quanquam nos potius & hinc ſublimius quid
colligeremus, quòd videlicet exemplo Chriſti co-
gamur & ipſi proximis lauare pedes, hoc eſt,
ſeruire, patiq; eorum ineptiam, infirmitatem, in-
gratitudinem, & iniuſticiam, benefacere male-
facientibus, diligere odientes nos, orare pro per-
ſequentibus deniq; mori pro inimicis noſtris, at-
que ſic à præcedentibus neq; hæc diſſonarent.

Non de vobis omnibus loquor,
ego ſcio, quos elegerim, ſed vt implea-

tur Scriptura: qui edit panem mecum ſuſtulit aduerſus me calcaneũ ſuum. Nunc dico vobis, priuſquam fiat, vt cùm factum fuerit, credatis, quòd ego ſum. Amen, amen dico vobis, qui recipit, quemcunq; miſero me recipit, qui autem me recipit, recipit eum, qui miſit me.

POſt ablutionem pedum tria vice appendicis adduntur. Primùm de arguendo proditore. Secundùm de corrigenda diſcipulorum ambitione. Tertiùm de præſumptione Petri reprimenda. Hic igitur proditorem ſuum correpturus, aſperitatem rei ſimul & abſurditatem præmiſſo exordiolo mollit. Aſperitas mollitur his verbis: Non de vobis omnibus loquor: ac ſi diceret: vnum taxabo, non omnes. Deinde ne obijcerent alioqui: cur (ſi Dei filius, & futurorum omniũ, conſcius es) eum elegiſti tibi in diſcipulum, qui te proditurus eſſet, mollit & hanc abſurditatem, dum addit: Ego ſcio, quos elegerim, ſed vt Scriptura impleatur, quaſi dicat: Ego ſum verus Deus, & ſcio etiam, quæ futura ſunt adeoq; nec id ignorare potui, qui nam ſint ſalutem conſecuturi: tamen vnum hypocritam,

quem ſciui manſurum obſtinatum vocare placuit, vt impleretur Scriptura, quam etiam deinde Dominus allegauit è Pſalmo 44. vbi Dauid conquerendo de Achitophel Iudam in eo præfigurauit. Vt enim Achitophel conſiliarius Dauidis, Abſoloni contra Dauidem ſe coniunxit: Sic & Iudas diſcipulus Chriſti Chriſtum proditurus erat. Quòd ait: Suſtulit calcaneum ſuũ aduerſus me, ſcilicet opprimendũ, ab equis eſt ſumpta metaphora. Quanquã potuiſſent hæc ad priora quóq; referri in hunc ſenſum: Dixi beatos eſſe, qui reipſa perficiunt voluntatẽ Dei, quam ſciunt, ſed ſcio ego, non omnes id facturos, ſed eſſe vnum Diabolum. De quo prædictum.

Notandum hic, quod nihil ſit in Scriptura nõ implendum, etiam ſi tantùm id figuratè præluſum eſt: et quòd omnia Chriſti facta magis inſignia, prius à Prophetis in Scriptura prædicta ſint. Deinde quòd Chriſtus, & verus Deus, præuideat, qui conuertendi, qui non cõuertendi ſint. Imò, quòd ij, qui conuertuntur, non id ſuæ induſtriæ, ſed gratuitæ Chriſti miſericordiæ, ſeu gratiæ cogantur adſcribere: quũ dicat: Scio, quos elegerim, vt verè pios futuros, et quis me ſit proditurus. Nam ita ſubiungit. Nunc dico vobis, priuſquam fiat, vt cum factum fuerit, credatis quòd ego ſum, videlicet Meßias ac verus Deus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

futura præuidens, & quod non inuitus moriar, ſed vltro me ad mortem offeram, ac ipſe mori conſtituerim ad ſalutem hominum. Hoc ipſum ſæpè repetitur ab Euangeliſtis, vt, quod notatu digniſsimum eſt, ne raptus ad ſupplicium præter voluntatem à quoquam exiſtimetur.

In fine docet Chriſtus, nequaquam impune ceſſurum Iudæ, quòd ipſum prodat, cùm ſimul & Deum, qui miſit Chriſtum, ſic vnà cum eo prodat. Effert autē id per ſententiam oppoſitam, & longius petitam, ac ſi diceret: vt is, qui recipit, honorat, ac ſuſtentat aliquem à me miſſum, in eo me ipſum quoq; recipit, honerat, ac ſuſtentat: ſic etiam qui me à Deo miſſum recipit, in me Deum ipſum qui me miſit, recipit. Nec aliter, qui me iniuria afficit, in me Deum ipſum, qui me miſit offendit: adeoq; nequaquam impune feret Iudas, quod hoc modo calcaneum ſuum contra me ſuſtulerit: ſed certiſsimè, quia Patrem meum in me prodendo læſit, breui ruet in exitium æternū. Locus igitur hic monet nos, vt libenter ſuſcipiamus, & omnibus, quibus poterimus officijs iuuemus eos, quos Chriſtus mittit, cùm id Chriſtus non aliter accipiat, quàm ſi ipſum præſentem foueremus. Vt inquit & Matth. 25. Amen dico vobis, quicquid feci-

ſtis vni ex his minimis meis, mihi feciſtis. Et mox: Quicquid non feciſtis vni ex his minimis meis, nec mihi feciſtis &c. Sunt autem à Chriſto miſſi cùm ij, qui verbum Chriſti cum virtute prædicant, tum omnes etiam, qui manſuetum & humilem Chriſti Spiritum cum vera fide præ ſe ferunt. Quare diligenter caueamus, ne hos vllo modo contriſtemus, ſed potius omnibus, quibus licet beneficijs nobis deuinctos reddamus, vt cum capite ſuo Chriſto recipiant nos in æterna tabernacula Amen.

Cùm hoc dixiſſet Ieſus, turbatus eſt ſpiritu, & edentibus illis teſtatus eſt, dicens: Amen, amen dico vobis, vnus ex vobis me proditurus eſt, qui edit mecum, mæſti ergo vehementer facti inſpiciebant ad ſe inuicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret. Et cœperunt quærere inter ſe, quiſnam eſſet ex ipſis, qui hoc facturus eſſet, ac ſingulatim ei dicunt: Nunquid ego ſum Domine? At ille reſpondens ait: Vnus ex duodecim, qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

intingunt mecum in patina manum, me proditurus eſt. Filius quidem hominis vadit, ſicut ſcriptum eſt de illo: Væ autem homini illi, per quem filius hominis proditur, bonum eſſet ei, ſi non natus fuiſſet homo ille. Reſpondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: nunquid ego ſum Rabbi? ait illi: tu dixiſti.

CVm ſupra Chriſtus obſcurius proditorē ſuū Iudā notare cœpiſſet, hic iam eius ingratitudinis, ac maliciæ ſtupendæ cogitatione turbatus initio mox apertius in eo taxando progreditur. Diſcimus igitur ex hoc textu. Primùm, quòd Chriſtus, cùm ſcribitur fuiſſe turbatus, non modò ſit verus, & naturalis, noſtriſq; affectibus obnoxius homo, ſed etiam ingenti afficiatur dolore, ſeu commiſeratione de impœnitentia, ac futuro cruciatu ſecurorum hominum. Quare ſummo ſtudio nobis videndum, ne Chriſtum peccando contriſtemus, at potius exhilaremus & ipſum, & cœleſtes ipſius Angelos, maturè reſipiſcendo. Deinde, quòd ex tam paruo diſcipulorum

rum numero Chriſtum vnus prodidit, horrendum (vt ſuprà quoque monuimus) exemplum eſt: & figura docet, quod in Eccleſia quoq; nuſquam tuti ſimus ab hypocritis, qui ſuis internis vitijs ferè plus homini pio nocent, quàm aperta hoſtium vulnera.

Tertiò, quoties enorme flagitium inter nos perpetratur, propoſitum hic Appſtolorum exemplum etiam nobis imitandum eſt. Nam & vehementer tum dolore cogimur: & bona conſcientia confugientes ad Chriſtum, ardentibus precari gemitibus, vt ſaltem nos in ſancto ſui timore dirigere pergat, & à pœnis imminentibus conſeruet.

Quartò, docet hic textus, quod Filius hominis (nimirum ipſe Chriſtus cum ſuis membris) vadat, ſicut ſcriptum eſt de illo, id eſt, quòd aliter fieri nequeat, quo ſatis fiat Scripturæ, quàm vt primùm ipſe Dominus, deinde omnes pij ſint ſubiecti plurimis afflictionibus, probris, direptionibus, & cædibus per hypocritas, & homines prophanos in hæc ſæculo.

Quintò, nequaquam impunè cædet his Chriſti, et Eccleſiæ perſecutoribus: verùm pœna tam atrox & horrenda ſequetur eos, vt optare poßint, ſe nunquã natos fuiſſe cum proijcietur in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Gehennam æternæ damnationis, vbi erit fletus, & ſtridor dentium, vbi vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, vnde dicent montibus: cadite ſuper nos, & collibus operite nos.

Vltimo loco notatu digna iſt Iudæ ſecuritas, & excæcata hypocriſis, qui, quanquam peſſimè ſibi conſcius erat, nihilominus auſus fuit ſe velut innocentem coram Chriſto gerere, Quando eò ſontis peruenerunt, non procul abſunt ab exitio. Quòd autē Dominus hunc hypocritam tàm obliquè, ac tectè reprehenderit, ne manifeſtaret eum diſcipulis alijs, maximæ clementiæ ſignum in eo præbet, qua ſontem correctum, non ſtatim punitum, nec paſsionem ſuam impeditam voluit.

Erat autem vnus ex diſcipulis in ſinu Ieſu recumbens, nimirum is, quem diligebat Ieſus. Innuit ergo huic Simon Petrus vt exquireret, quis eſſet, de quo loqueretur. Itaque cùm recubuiſſet ille ſuper pectus Ieſu, dixit ei: Domine quis eſt? Reſpondit ei Ieſus: Ille eſt, cui intinctum panem

porrexero, & cùm intinxiſſet panem dedit Iudæ Simonis Iſcariotæ, et poſt offulam ingreſſus eſt in eum Satanas.

CVm iam diſcipuli ſummo ſtudio ſcire cuperent authorem tanti facinoris, vt ſe tutos à tam horrendo lapſu cognoſcerent, & proditori dignè ſuccenſerent, Petri conſilio, Iohannes à Chriſto id expiſcatur. Subticet autē nomen ſuum Iohannes, et ſe tantùm paraphraſticè deſignat, partim ex modeſtia, ſeu verecundia ne non Chriſtū, ſed ſe prædicare videatur, partim, quia nō poteſt nō meminiſſe perlibenter eius, quod in vita gratiſsimū ipſi fuit dilectionis videlicet erga ſe Chriſti, qua ſola ſe factum agnoſcebat id totum, quod erat. Quòd etiam tàm diligenter nō hic tantùm, ſed & poſtea aliquoties inculcet, ſe ſuper Chriſti pectus in cœna recubuiſſe, neq; hoc temerè eſt: ſed procul dubio ſuaues aliquas eo tempore cogitationes de dilectione erga ſe Dei & Chriſti, ſenſit, quorum frequenti recordatione ſe per omnem vitam oblectauit.

Deinde conſideretur ſumma Chriſti clementia, ac manſuetudo, qui cum chariſsimo diſcipulo manifeſtare ſuum hoſtem voluit, non id

fecit vt intelligerent alij, verbis apertis, imo neque vultu commoto, ſed ſummæ humanitatis officio, pane videlicet, quem intinxerat ei porrecto, ſic & nemo poſteà mali quicquam de eo ſuſpicari potuerit, præter Iohannem, cui ſoli Dominus id ſecreti crediderat. Porrò Iudas tanta Chriſti manſuetudine non modo non à peſſimo propoſito deſtitit, ſed iam in reprobum ſenſum datus inde magis adhuc induratus eſt, id enim indicatur dicto Iohannis, quod ſubiungit: Et poſt offulam ingreſſus eſt in eum Satanas, id quod ipſe forſan Euangeliſta tum animaduertit ex eius ferocia, ſeu audacia, quam inde maiorem Iudas concepiſſe ac declarare viſus eſt: quòd plenè nondum Chriſto ſuum propoſitum innotuiſſe, apud ſe conſtitueret, cum adhuc ei ſe tam benignum, ac beneuolum in conuiuio proponendo cibo præberet: Vel, quòd contemneret illum, vt magis mitem, humilem, & imbellem, quam vt ſe de quoquam vlciſci vel poſſet vel cuperet. Vnde nihil eum vel conſciũ (Satana in ipſum ingreſſo) reueritus amplius fuit.

Dicit igitur ei Ieſus: Quod facis, fac citius. Hoc autẽ nullus intellexit accu…bentium, ad quid ei diceret. Quidam enim putabant quia cru-

menam

menã habebat Iudas, quòd diceret ei Ieſus: eme quæ nobis neceſſaria ſunt ad feſtum, aut pauperibus, vt aliquid daret. Cùm igitur ille accepiſſet offulam, ſtatim exiuit. Erat autem nox.

Hic patet etiam, quòd Iudam tanta Chriſtus humanitate corripuerit, vt Apoſtolis de eo nulla ſuſpitio venerit in mentem vel eo tempore, cum iubente Chriſto, ſe ab alijs iam poſtremũ ſeiungens exiret. Non tamen imperat Chriſtus, vt peccet, Iudas, verum, vt id, quod ſponte ſua conſtituerat, quamprimũ faciat, iubet, innuens, ad paßionem ac mortem ſubeundam ſe eſſe paratum. Deinde cùm indicat Iohannes, Chriſto fuiſſe pecuniam, qua emi neceſſaria potuerint, & ex qua nonnihil ſæpè pauperibus diſtribui ſolitum ſit, diſcimus quo modo noſtræ, quas habemus facultates adminiſtrari debeant, videlicet vt & nobis neceſſarium vſum, nõ abuſum præbeant, & pauperum leuent inopiam, Vt Salomon dicit Prouerb. 5. Bibe aquam de ciſterna tua, et fluenta de puteo tuo ſpargantur riui tui foras &c. Poſtremò, nec id prætereundum, quod, cum accepta offula, Iudas in malicia confirmatus exiuit, addat Euangeliſta fuiſſe

noctem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

noctem, nam & χρονογραφικὸν eſt, & non in aëre tantùm, ſed etiam in corde Iudæ, populiq́ totius Iudaici tenebras horrendas tum fuiſſe notat.

Facta eſt autem contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior: ipſe autem dixit eis: Reges gentium dominãtur eis: Et qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autẽ nõ ſic, ſed maior in vobis fiat, ſicut iunior, et ductor, vt qui miniſtrat. Nam vter maior eſt, qui accumbit, an, qui miniſtrat? Nónne qui accumbit? At ego in medio veſtrum ſum vt qui miniſtrat: Vos autem eſtis, vt qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater meus Regnum, vt edatis, et bibatis ſuper menſa mea in regno meo, & ſedeatis ſuper thronis iudicantes duodecim tribus Iſraël.

Hæc

HÆc ferè conueniunt cum ijs, quæ ſupra Chriſtus poſt lotionem pedum diſcipulis de ſtudio humilitatis & humanitatis propoſuit. Eſt autem admiratione dignum, quòd ambitio toties à Chriſto reprehenſa tàm diu hæſerit in Apoſtolis. Vſq; adeo nulla monita vitiatam naturam ſanant, donec ſimul Spiritus ſanctus à Chriſto glorificato non confertur: Interea nō deſinit eam Dominus corrigere, dum adeſt illis, confutat autem eam hoc loco tribus præcipuè argumentis, quorum primum eſt diſsimilitudo inter imperia mundi, & eius regnum: qua fit, vt, ſicut in mundo gubernatores Dominium in ſubditos exercent, & potentioribus inferiores adulari, & inſeruire coguntur: ſic in regno Chriſti planè contrario modo, gubernatores miniſtri ſint, & rudioribus inſeruiant: atq; ij, qui ſcientia, ac Spiritu reliquis ſunt potentiores, non εὐεργέται, ſeu benefici vocentur (vt illi) ſed hæretici, ſeductores, ac peſtes humani generis, audire, cogantur, nec rarò velut κακοῦργοι, ſeu malefici, rapiantur ad ſupplicium capitis.

Secundum eſt Chriſti, ipſius exemplum nobis in imitationem propoſitū Cum enim Chriſtus, qui nobis in infinitum dignior, ac maior eſt, non tàm accumberet cum diſcipulis, quam

ijs ac-

ijs,accumbentibus,veluti miniſter eorum,inſeruiret,ac miniſtraret,dum & mortem pro ijs tulit,abſurdiſsimum eſſet,ſi nos idem inferioribus facere grauaremur. Nam vt nullus ſeruus Domino ſuo maior eſt, & plus commoditatis iuſtè quærere poteſt.ita quod Chriſtus fecit, nequaquam nos refugere debemus.

Tertium argumentum ſumitur à qualitate regni Chriſti, quæ eſt, ſecundùm carnem tentationes,et crucem pati, ſed ſecundùm Spiritum,edere Verbum, & bibere Spiritum Chriſti fide,nec aliter præeſſe fidelibus, quàm docendo eos Chriſti doctrinam, in qua certè faſtus, & ſplendor nullus ferri poteſt. Cogitemus igitur hîc, quid expectandum ſit ad regnum Chriſti properantibus,nimirũ tentationes, quales Chriſtus prior ſuſtinuit, vt famem,ſitim, paupertatẽ, ignominiam,luctam ſpiritualem, & probroſam deniq; mortem: In quibus & nobis ad finẽ vſq; cum Chriſto permanendũ eſt. Sed hæc mitigabit nobis verbũ Euangelicũ, in quo velut edimus ac bibimus,in regno Dei gratiã et iuſtitiã Chriſti. Menſa enim Chriſti miniſterium Euangelicum eſt,ad quod velut accumbimus in regno Dei,id eſt,in Eccleſia. Sedebunt autem Apoſtoli in hoc Regno ſuper thronis, id eſt, fungentur publico docendi munere, iudicantes duodecim tribus

Iſraël

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Iſrael, hoc eſt, docentes, arguentes, conſolantes vniuerſam Eccleſiam, quocunq; terrarum eſſent peruenturi. Quare cum hoc modo Deus regnũ diſpoſuerit filio ſuo vnigenito, Chriſto, vt ſpirituale tantùm gaudium conciperet, non citra crucem, & humiliationem ſui: nec nos Chriſtiani quicquam vlterius vel inquiramus, vel expectemus in hoc ſæculo. Vt enim Pater Chriſto diſpoſuit, ſiue commiſit hoc Regnum, ſic Apoſtolis, & nobis omnibus diſpoſuit Chriſtus.

Cùm itaq; exiuit (Iudas) dicit Ieſus: Nunc glorificatus eſt Filius hominis, & Deus glorificatus eſt in eo. Si Deus glorificatus eſt in eo, etiam Deus glorificabit eum in ſeipſo et continue glorificabit eum, filioli adhuc pauliſper vobiſcum ſum, quæretis me, & ſicut dixi Iudæis, quò ego vado, vos non poteſtis venire, etiam vobis dico nunc. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis vos mutuo. In hoc cognoſcent omnes, quòd

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

mei diſcipuli eſtis, ſi dilectionem habueritis inter vos mutuam.

POſt exitium Iudæ Chriſtus hunc Deo, velut hymnum ſeu gratiarum actionem cecinit, in quo magna ſunt myſteria, ſicut vbiq; ſunt in Iohanne. Sed ea nos differemus in aliud tempus, nunc vt ſaltem textum reddamus clariorem, breuiſſimè per numeros quædam annotabimus. Primùm, cùm per Iudam obſtinatum inchoaretur paſſio, Chriſtus glorificandum, & velut iam tum glorificatum ſe cum ſuis fidelibus præuidit atq; adeo mirè in Spiritu geſtijt, quia paſſio eius via fuit ad gloriam, cùm ſuam, tum omniũ fideliũ. Deinde Pater glorificatur per Chriſti mortẽ quòd hi ſoli, qui in Chriſtum paſſum credunt, eiq; inſeruntur, vero corde tribuere Deo gloriam incipiant. Tertiò, quòd Deus, quia per Chriſtum paſſum, ſicut dixi, glorificatur, eum cum ſuis fidelibus, quorum caput eſt, in ſe ipſi quoq; ſit glorificaturus, id eſt, quòd Eccleſiæ tandem diuinam ſuam indolem, & eſſentiam ad æternam eius gloriam ſit communicaturus. Quartò, dicit Apoſtolos eo tempore non eſſe peruenturos ad illum afflictionis, & glorificationis gradum, ad quem ipſe vaderet. Quia videlicet ma-

cet maturitas Eccleſiæ nondum tum prodierat. Quintò, dat interim nobis mandatum, quod vocat nouum, vt nos mutuò diligamus: quo & ſolo pij verè diſcernendi ſint à reliquis gentibus & ſectis. Vocat autem id nouum, non quòd antea non fuerit, ſed partim, quia tantùm à regeneratis, & nouis hominibus fieri poteſt, partim, quia purius & clarius in nouo teſtamento proponitur.

Dicit ei Simon Petrus: Domine quo vadis? Reſpondit ei Ieſus: quo ego vado, non potes me nunc ſequi, ſequeris autem poſtea. Dicit ei Petrus: Domine, quare non poſſum te ſequi nunc, animam meam pro te ponam. Reſpondit ei Ieſus: Animam tuam pro me pones? Simon Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret, ſicut triticum, ego verò rogaui pro te, ne deficiat fides tua, ſed aliquando conuerſus confirma fratres tuos, at ille dixit: Domine tecum paratus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ratus ſum in carcerem, & mortem ire, at ille dixit ei: Amen, amen dico tibi Petre, non canet hodie gallus, priuſquam neges ter, quòd noris me.

QVia ſupra Chriſtus dixerat, quòd Apoſtoli nō poſſent ipſum eo tempore, ſicut nec Iudæi, ſequi, videlicet, ad paſſionē et mortē crucis; & ad reſurrectionis gloriam, quærit primùm Petrus, quonā iret. Deinde, cum Chriſtus idem, quod prius reſponderet, ipſum non poſſe nunc eò ſequi, ſed poſtea ſecuturum: non credens verbo Chriſti ſimpliciter, ſed nimium de ſuis viribus in carne confidens, quærit cauſam, cur nunc ipſum ſequi non poßit, addens paratum ſe eſſe, vt animam ſuam pro ipſo ponat. Quod ipſum vera quidem fuiſſet via ſequendi Chriſtum, ſed procul admodum à carnali Petri præſumptione remota fuit Quare Chriſtus illi ſuam infirmitatem, & hoſtis potentißimi ſtudium in ſequentibus rurſus proponit, cùm ait: Diabolus expetiuit vos cribrare, ſicut triticum: ſed addit conſolationem, qua animum recipere vult infirmos, quòd ipſe pro ijs, & imprimis pro Petro Patrem orauerit, ne fides eius quaſſata prorſus interi-

interiret. Vnde præcipit etiam, vt conuerſus tandem alios fratres confirmet. Cùm autem Petrus in præſumptione de carnali ſua fortitudine perſtat, & affirmat ſe citius in mortem, & carcerem iterum, quàm ab ipſo defecturum, nihil Chriſti contrariam aſſertionem curans, exponit ei tandem Dominus, quàm turpiter vel illa proximè inſtante nocte lapſurus eſſet, priuſquam gallus cantaret.

Diſcimus igitur hinc primùm, & principaliter, non præſumere de noſtris in carne viribus, ac libero arbitrio: ſed humili animo ſemper, & in omnibus, quæ facturi ſumus ad Chriſti gratiam ac tutelam fugere. Deinde, quòd hoſtis noſter Diabolus, velut Leo rugiens, circumeat nos, & quærat, quomodo nos deuoret, ac tritici more cribret, & ad nihilum deniq; redigat. Tertiò, quòd habeamus Aduocatum apud æternum Patrem contra Diaboli machinationes ipſum videlicet Chriſtum, qui pro nobis intercedit, & nobis impetrat: ne deficiat fides noſtra in vllo periculo. Quartò, quòd erecti rurſus interceſſione Chriſti, & confirmati debeamus operam dare, quo & alij, qui lapſi ſunt, nobiſcum rurſus erigantur, & confirmentur. Sicut Dauid inquit: Docebo iniquos viam tuam: & impij ad te conuertentur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Porrò, quod quidam hîc myſticam ſententiam eliciunt, quaſi Chriſtus his verbis: Satanas expetiuit vos cribrare, ſicut triticum, ſed ego rogaui pro te, ne deficiat fides tua: & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos, tacitè prædixerit, aliquando futurum, vt omnium nationum Eccleſiæ, quas Apoſtoli docendo ſeminarunt, inſidijs Diaboli per Antichriſtos turbentur ac ſubuertantur: ſola verò Occidentalis Eccleſia, quæ Petro iam olim adſcribitur, ex Antichriſti tenebris per ſynceros Dei miniſtros eluctatura ſit, & ad finem beatum ante alias peruentura: quodq́; ea tum anniti debebit, vt & reliquæ nationes in ſalutari Chriſti doctrina rurſus erigantur, & confirmentur: id, vt an firmum omnino ſit, neſcio, ſic certè colorem aliquem habet. In fine, cùm Chriſtus ait, quòd Petrus ipſum ter abnegaturus ſit, priuſquam gallus cantet, ſignificat, ſæpius homines etiam aliquo vſq; in pietatis negotio progreſſos, contra Chriſtum delinquere, priuſquam per verbi prædicationem, velut gallicantum aliquem commonefiunt. Quare demus operam, vt verbum Dei ſemper ſonet & βώμβει, ſicut Plato loquitur, in auribus, vel potius mentibus noſtris.

Et dixit eis: Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calciamentis, num quid defuit vobis? At illi dixerunt: nihil: Dixit itaque eis: ſed nunc, qui habet ſacculum, tollat, ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Dico enim vobis, quòd adhuc id, quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me, nempe, quòd cum iniquis deputatus eſt. Nam ea, quæ ſunt de me, finem habent. At illi dixerunt: ecce duo gladij hîc, ipſe verò dixit eis: ſatis eſt &c.

AC ſi diceret: hactenus, quamdiu vobiſcum ego fui, quanquam non muniui vos magnis diuitijs: tamen ita rexi, ac texi vos, vt nulla in re paſſi ſitis egeſtatem, ſed ſemper habueritis non quidem ſuperflua multa, ſed omnia certè neceſſaria: Verùm nunc, vbi diſceſſero, non tàm molliter amplius fouebimini, ſed pugnæ vobis, & luctæ ſpirituales imminent, in quibus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

vt victores euadatis, neglectis omnibus huius vitæ curis, acquirendus eſt vobis gladius Spiritus, hoc eſt, verbum Dei, Eph. 6. Quòd autem Apoſtoli dicunt: Ecce duo gladij hic, ruditatem ſuã declarant, nihil intelligentes de Chriſti verbis, quæ ſunt Spiritus & vita, quare Chriſtus quoq; videns eos nondum ſuæ mentis eſſe capaces, nihil aliud addit, quàm: ſufficit, ſcilicet, de illis externis gladijs, qui nihil ad regnum Dei faciunt.

Porrò notandum in hac pericope primùm, quod ſuos mittat Chriſtus non inſtructos mundanis opibus, et auxilijs, & tamen omnibus, quæ ad vitam neceſſaria ſunt, donet. Cùm enim ſedent in tenebris, Dominus lux eis eſt. Mich. 7. Secundò, quòd poſt abitum Chriſti ſecundùm corpus, & externam ſpeciem, vt Spiritus ſanctus accipiendus, ita maiora pericula ſubeunda ſint. Tertiò, quòd poſt illum Chriſti diſceſſum, cum grauiora pericula incumbent, neglectis omnibus alijs curis, eo ſolum annitendum ſit. Vt gladium Spiritus, verbum Dei ſpirituale, docto cœlitus animo circumferamus. Illud enim viuum eſt & efficax, & gladio quouis acutius, & pertingens, vſque ad diuiſionem animæ, & Spiritus, iuncturarumq; & medullarum, iudex internarum cupiditatum & cogitationum cordis.

dis, & non eſt creatura occulta coram eo &c. Vt eſt Ebr. 4. Quartò, notetur ea, quæ ſunt Chriſti, videlicet ſecundùm corpus, finem habere, & ceſſatura eſſe: futurumq́ vt in ipſo vaticinia Prophetarum omnium impleantur, vtq́ adeo cum impijs ipſe deputetur: & impiorum veluti ſocius vel potius dux & caput habeatur. Vnde nec nobis graue videri debet, ſi contemptum, & quæuis aduerſa ſubire cogimur. Vltimo loco videatur, quam Papiſtæ ſe ridiculos præbeant. Dum hinc duplici gladio, ſeu poteſtate, ciuili, & Eccleſiaſtica Pontificem Romanum, & reliquos Epiſcopos armare conantur. Non enim hìc loquitur Chriſtus de poteſtate vlla, ſeu dominio, ſed de cruce, in hanc ſententiam: Vt ego nunc patiar, tanquam iniquus, ita paulò pòſt & vos patiemini: Nam exemplum præbebo vobis, vt inſequamini veſtigia mea. Quare gladium emite non externum, quo me non videbitis vti, ſed internum, videlicet, verbum Dei, quo muniti contra Diabolum, & mundum victores euadere poteritis. Notandum etiam, quàm patienter Chriſtus nos noſtramq́ infirmitatem, ac ruditatem geſtet & veluti boni conſulat, dum tandem in vnum perfectum excreſcamus. Idem & nobis erga rudiores, infirmosq́ fratres agitandum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Poſt hæc extat in Iohanne Concio prolixa, quatuor integris capitibus continuata, quam etiam in cœna Dominus coram ſuis diſcipulis habuit. Sed huius vt plenam explicationem propter temporis anguſtiam refugimus, ita ſummam breuiter annotabimus hoc modo: In decimo quarto capite Chriſtus diſcipulos ſuperioribus verbis, & inſtante ſua paſſione turbatos conſolatur:

1. *Primùm, quòd abitu ſuo locum ijs paret apud patrem:*
2. *Secundò, quòd viam ſciant, qua ipſum ſequi poßint.*
3. *Tertiò, quòd Spiritum ſanctum non mundo, ſed illis ipſum diligentibus miſſurus: adeoq́ ſemper ſpiritualiter cum eis verſaturus ſit.*
4. *Quòd Spiritus ſanctus adueniens plenius eos inſtructurus ſit.*
5. *Quòd pacem, non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm Spiritum, ijs in medijs afflictionibus relinquat.*

In 15. capite monet, Primùm, vt in ipſo, tanquam palmites in vite maneant, quo fructum Deo eius colono agricolæ placentem ferant.

2. *Vt perfectè de ipſo lætentur, commendat*

ijs di-

ijs dilectionem ſuam, vocatq́ ſuos eos amicos, dum faciunt, quæ iubet.

3. Proponit ijs gratuitam electionem, qua conſtituit eos, vt creſcerent, & fructum facerent nunquam interiturum.

4. Repetit mandatum dilectionis.

5. Munit eos contra odia mundi, ad quæ parare nos, & nequaquam offendi debemus, cum ex ignorantia ſimul, & malicia mundus, Chriſtum, & ipſum Deum imprimis oderit & perſequatur.

6. Rurſus promittit ijs, veluti teſtem ſuum Spiritum veritatis.

In 16 capite, Primùm rurſus munit diſcipulos contra ſcandalum crucis.

2. Myſticum ſuum diſceſſum ad patrem denuo promittit, & vtilem ijs fore teſtatur, quòd ſic, & non alioqui Spiritus ſanctus ad ipſos ſit mittendus.

3. Spiritus ſancti officium, iudicium, perfectam doctrinam, & mirandam ſapientiam prædicit.

4. Denuo diſceſſum ſuum inculcat, & contra crucem, vt breuem, ita viam ad æterna gaudia futuram animos eorum præmunit.

5. Hortatur ad precationem in nomine ſuo,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

dicitq́; futurum, vt præcantibus plenè tandem ipſis innoteſcat.

6. Cùm diſcipuli putarent, quòd plenè ipſum intellexiſſent, rurſus eos communefacit de ſua imperfectione, & futuro lapſu: iubetq́; nihilominus confidere, quòd mundum ipſe vicerit, vt & illi per ipſum vincere poſſent.

In 17. capite recitat Patri ſuam precationem, in qua petit, primùm, vt à Patre glorificetur, quo rurſus ipſum glorificet & ſimul definit vitam æternam eſſe Chriſtum, ac Deum cognoſcere, ſeu diligere.

Deinde indicat ſe opus ipſi à Deo commiſſum de Euangelio electis patefaciendo executum eſſe.

3. Significat pro quibus oret, nempè non pro mundo, ſed pro electis, quos Pater per ipſum perducit, vt ſeruentur à mundo, & ſint vnum inter ſe.

4. Teſtatur nullos perire, qui ipſi à Patre nimirum per Spiritum adoptionis committuntur. Iudam autem fuiſſe filium perditionis.

5. Rurſus petit, vt ſanctificet eos in veritate, id eſt, in verbo ſuo.

6. Significat ſe pro nobis quoq́;, qui poſtea nati per Apoſtolorum prædicationem credi-

dimus

dimus, precari, quò omnes Patri vniamur in ipſo.

7. Rogat, vt nos Pater eadem dilectione proſequatur qua Filium ſuum vnigenitum ab æterno dilexit, vnum videlicet & vnius corporis membra cum eo per Spiritum ſanctum factos. faxit id Deus Pater miſericordiarum. Amen amen. Ipſi ſit laus & gratiarum actio per omnem æternitatem, Amen. Atq; hæc nunc de cœna ſufficiant.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

IN PASSIONEM DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI SECVNda Concio, in qua continentur ea, quæ in horto geſta ſunt : Præfaciuncula.

CVm pia, ni fallor, animi volupta-
te quadam amplector eorum ſen-
tentiam, qui Eccleſiæ, quæ Chriſti
corpus eſt, archetypum, ac recte
viuendi normam in hiſtoria Chri-
ſti præſcriptam eſſe indicant. Quemadmodum
et Paulus monet, vt eodem modo cum Chriſto ſi-
mus affecti. Pſal: 2. Nullum enim efficati-
eſt remedium contra ſecuritatem, et ſenſum car-
nis nunc nimis inualeſcentem, quàm animo p-
Chriſti manſuetam vitam, & humilitatis aff-
ctum intueri, præſertim hoc poſtremo ſæcul-
quo maior iam requiritur perfectio, vt cont-
ſummam huius mundi maliciam præmuniti e-
ſe, & per fidem in cruce Chriſti perſeuerare ſci-
mus. Nam vtì Chriſtus non ſtatim initio pl-
nè nobis adultus in ætate virili apparuit, ſe-
primùm natus infantulus, & ſic more aliorum
hominum ad adoleſcentiam progrediens, in q-
min-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

minus etiam illuſtria ſui documenta præbuit, dum tandem adultus, baptizatus, doctrina conſpicuus, & miraculis clarus, deniq; & in crucem actus, & mortis iam acerbitatem guſtans, omnia conſummata proclamauit. Sic Eccleſiæ quoq; ſua fuit, & pueritia & adoleſcentia: quando rudiore etiam crucis genere preſſa fuit, vti toto veteris teſtamenti tempore, & noui aliquo vſq;: Verum, teſte Paulo, tandem et hæc excreſcet ad menſurã ætatis plenitudinis Chriſti. Quod ſi futurũ eſt iuxta Spiritus ſancti promiſſum, neceſſe eſt, vt ibi pij Chriſto ſe mente nimirum, & Spiritu, conformes exhibeant, ac perfectam eius cùm lucem, tum crucem quoq; prorſus exprimant. Adeoq; conuenit, vt prius illius cùm vitæ totius, tum paßionis, & mortis hiſtoriam diligenter inſpiciant, & imitandam ſibi proponant. Atque id hoc tempore ſaltem vrgendum: quia nunc finis inſtat, omnium conſenſu, nunc charitas refrixit, nunc abundat multorum iniquitas: nunc & reuelatus eſt iniquus ille, quem Dominus aduenïens Spiritu oris ſui conficiet. Quare nunc tanquam in extremo actu cum Chriſto noſmet ad crucem, ignominiam, & afflictionem Spiritus, & ad mortificationem noſtri paremus: quò & vna cum ipſo per omnem æternitatem glorificemur. Scimus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

enim aliter fieri non poſſe, quemadmodum dicitur: Caro & ſanguis non poſsidebit regnum Dei. Quapropter vt & nos tempore duro in vera fide & pietate perſeueremus. Nunc imprimis non geſtus mundi reſpiciamus, non conſulamus prudentes huius ſæculi, ſed Chriſti cùm totam vitam, tum paſsionem & mortem, in qua clariſsimè ipſius humilitatis affectus enituit, vnicè nobis commendatam habeamus, & in eam, tanquam in ſpeculum perfectionis vnicè nobis præſcriptũ, nunquã nõ intueamur. Quamobrem, vt hæc Chriſti paſsio, & mors aliquanto ſuauior, & magis fructifera nobis reddatur, in gratiam piorum breuibus eam explicationibus illuſtrare conabor. Quia autem nuper ſacram cœnam vtcunq; percurrimus, nunc ipſam paſsionem ab ijs, quæ in horto geſta ſunt, vt initio pollicebamur, hoc modo (quod Deus fœlix & fauſtum eſſe velit) continuabimus.

Et cum hymnũ cecinissent egreſſus Ieſus ibat, vt ſolitus erat, trans torrentem Cedrorum in montem oliuarum.

A Cœna Chriſtus diſceſſurus, prius hymnum canit, vnde primùm hoc diſcimus, quod etiam nos agnoſcere debeamus, cibum, po-

tum

tum, veſtitum, incolumitatem, tranquillitatẽ & omnia quibus indigemus in hac vita, Dei munera eſſe, Deoq; adeo perpetuas de ijs agendas eſſe gratias. Deinde quòd etiam exemplo Chriſti nō deiecto, ſed læto, fortiq; animo crucem, tanquam vnicam ſalutis viã aggredi teneamur. Vt enim ſupra dixit: *deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcũ, antequã patiar.* Ita hîc relicta cœna, cum cantico locũ, vbi capiendus eſt accedit, in ſignum, quòd nequaquã præter animi ſententiã ſit paſſurus. Huius exitus à cœna Chriſti veluti typus deſcribitur 2. Samu. 15. in Dauide fugiente filium Abſolon, nam & ille tranſijt torrentem Cedrorum, & in monte oliuarum grauiſsimo mœrore conſternatus, non ſecus ac in eodẽ hoc loco paulò pòſt ipſe Dominus orauit. Vnde vlterius aliquid magis arcanũ hæc ſignificare videntur, quòd videlicet in fine ſæculorũ Dominus cum ſuis membris à cœna, id eſt, à miniſterio verbi cum hymno, & læto animo ſurrecturus ſit & tranſiturus per torrentem Cedrorum, hoc eſt, per grauiſsimã afflictionem et mortificationẽ ſui, iuxta quam tamen arbores inſignes, nempe verè pij creſcunt, ad montẽ Oliuarũ, id eſt, ad veram dilectionem, ſtudiumq; vnitatis, & pacis. Vt enim torrens afflictionem, ita oliua pacem ſignificat. Sed de his alibi latius.

Secuti

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Secuti ſunt autem illum & diſcipuli.

Diſcipuli, id eſt, quotquot ſunt Chriſtiani, Dominum, & caput ſuum Chriſtum ſequi cogentur, vt poſtea ad æternam gloriam, ſic prius & ad crucem & anguſtias, quemadmodum ait: Non eſt ſeruus ſupra Dominum ſuum, nec diſcipulus ſupra Magiſtrum ſuum: ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur, quod exprimit Paulus cùm loquitur in hanc ſententiam 2. Timoth. 3. Omnes, qui piè volent in Chriſto viuere, perſecutionem patientur videlicet à Satana, carne & mundo, cum quibus nunquam veræ ſanctorum Eccleſiæ bene conuenire poteſt. Hoc innuunt Euangeliſtæ, cùm tàm diligenter annotant hiſtoriam, quòd Apoſtoli Chriſtum ſecuti ſunt, nam ferè Spiritus ſanctus latius reſpicit, quàm in rem præſentem.

Tunc dicit illis: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Scriptum eſt enim percutiam Paſtorem, & diſpergentur oues gregis, poſtquam autem ſurrexero, præcedam vos in Galilæam.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

INter eundum denuò Chriſtus diſcipulos infirmitatis ſuæ commonefacit. Nihil enim vtilius, & magis neceſſarium, quàm vt noſmet norimus: qui enim infirmitatem, & ægeſtatem ſuam ignorant, inidonei ſunt, vt opem & gratiam Chriſti vel ſeriò inquirant, vel acceptare poſſint. Vnde dicitur Iohan. 9. Ego in hunc mundum veni, vt qui cæci ſunt, videant, & qui vident, id eſt, qui ſe ſapientes exiſtimant, cæci fiant. Et paulò pòſt iterum: Si cæci eſſetis, peccatum non haberetis, nunc verò, quia dicitis, videmus, peccatum veſtrum manet. Demus itaq; operam, vt imprimis nos ipſos, tanquam cæcos, infirmos, & iniuſtos damnemus, quò gratia Chriſti nobis ad ſapientiam, & iuſtitiam æternam illuceſcat. Vt enim Apoſtolis id valde videbatur abſurdũ, quòd ipſi Chriſtũ eſſent abnegaturi, ſic omnes ab infidelitate, ſeu profanitate, facile nos ipſi liberamus. Talis affectus, quia ſummè periculoſus eſt, non ceſſat nos Dominus commonefacere, ſinitq; labi ſuos, quò conſiderata noſtra imbecillitate, de nobis humiliter ſentiamus. Aduertendum autem, quòd, vt ad Chriſti paßionem etiam eius intimi diſcipuli, quos modò ſuos amicos appellauerat, offenduntur, ita ſub finem, quandò Eccleſia Spiritualiter vnà cum Chriſto paſſura, & efficacius mor-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

tificanda eſt, omnes vel pij contemptibilem eius formam refugient, & exhorrebunt, ſaltem dum nox durat, & dies iuſticiæ nondum exortus eſt in cordibus piorum: de qua imperfectionis nocte Chriſtus etiam loqui præter hiſtoriam videtur. Sicut & verba Zachariæ 13: Percutiam paſtorem &c. non tantùm Chriſti paſſionem, & Apoſtolorum diſperſionem illo tempore futuram prædixerunt, ſed ſimul ad anguſtiam quoq; nouiſſimi temporis, accommodari queunt. Verùm id hoc loco tantùm annotaſſe ſufficiat. In fine diſcipulos, qui hoc ipſorum futuro ſcandalo turbari potuerunt, rurſus erigit, ſeq; teſtatur ijs à morte reſuſcitandū, & in Galilæa conſpiciendum. Tanta Chriſto de nobis cura eſt, vt nec inaniter præſumptione turgere, nec miſerè deſperatione frangi nos velit. Eadem cura fidelibus Verbi miniſtris de ſuis auditoribus incumbit.

Reſpondens autem Petrus ait illi: Et ſi omnes ſcandalum paſſi fuerint, ego tamē nunquā ſcandalum patiar. Ait illi Ieſus: Amen dico tibi, quòd hodie in nocte hac, priuſquam Gallus cecinerit, ter abnegabis me. At ille vehementius dicebat: Imò ſi

me

me oportuerit vel commori tibi, non te abnegabo. Similiter autem & omnes diſcipuli dicebant.

PEtrus adhuc rudis tentationum ſpiritualiū, & ſuæ imbecillitatis ignarus perſtat in carnali præſumptione. Nam dulce bellum inexpertis, & magni carnalium animi: ſed experti manum Dei pauitant, & ſuis viribus nihil tribuunt: at ſola fide ſua viuunt, & ſpe ſe ſuſtentant, cùm interim ſecuri tument, & cum morte, & inferno veluti pactum ſe iniſſe ſomniant, vt Eſaias loquitur. Petrus igitur, quia nondum in ſe deſcenderat, nec ſibi notus erat, fieri non poſſe exiſtimat, vt chariſſimum ſibi Dominum vel in mortis periculo deſerat, aut abneget, nec aliud Apoſtoli reliqui ſibi perſuadebant. Sunt & hæc typi poſtremi ſæculi. Plura de hoc loco ſuprà in fine cœnæ adſcripſimus, quæ ibi repetantur.

Tunc venit Ieſus cum illis in villã, quæ dicitur Gethſemani, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Nouerat autem & Iudas proditor eius locũ, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis.

CHriſtus non fugit locum conſuetum, etiam ſi ſciret, quòd illic Iudas ipſum inquirere, & prodere conſtituerat: non enim inuitus ad mortem abripiendus erat: ſed vltro ſe ad eam offerebat, vt ſupra oſtenſum aliquoties. Deinde & in horto capi voluit ad humanum genus morte ſua redimendum, quia Adam falſæ vitæ deſiderio, & ſpe ſecum id in horto perdiderat. Dicitur autẽ villa, in qua hic hortus fuit, Gethſeman, id eſt, torcular olei ſeu pinguedinis, deſignatq́ Eccleſiam, in qua torcular quoddam eſt, nempe crux & mortificatio carnis: Sed hæc eſt pinguis, quia in mortificato animo gratia vitæ æternæ, & ſpirituale oleum, hoc eſt, ſanctitas, & læticia cœleſtis abundat. In hac villa, & in hoc horto frequenter Chriſtus cum ſuis diſcipulis pernoctatur, quia vnicum piorũ ſtudium eſt, vt per mortificationem carnis, & viuificationẽ Spiritus, id eſt, per veram ad Deum conuerſionem Agnum ſeu Chriſtum aſsiduò ſequantur. Vnde & præcipit Chriſtus diſcipulis, vt ibi ſedeant.

Et dixit Ieſus diſcipulis ſuis: Sedete hîc, donec vadã, & orem illic. Et aſſumpto ſecum Petro, & Iacobo,

&

& Iohanne duobus filijs Zebedæi, cœpit dolere, turbari, & grauiter angi, & dicit illis: Triſtis eſt anima mea vſq; ad mortem &c.

HIc iam in Chriſto ſe vis, ac dolor paßionis exerit. Quanquam enim ei nondum lacerantur membra, vel externæ infliguntur plagæ, nihilominus tamen mortis angoribus, id eſt, tantis, qui mortem alicui poßint inferre, concutitur. Quia nõ foris in corpore tantùm paſſus eſt Chriſtus, vt S. Laurentius, et alij, qui nondum ſimul cum ira Dei luctati ſunt: ſed intus etiam, imò hîc infinitis partibus grauius, vt videmus, quòd non poſtea, cùm flagellatus, & ſpineo ſerto reuinctus, in crucem actus eſt, ſed hîc, à cruciatu corporis etiamnum liber ſanguineas guttas ſudaſſe præ anguſtia legitur, animo nimirum ancipitem luctam ſuſtinente cum peccato, ira Dei, maledictione, & morte. Siquidem hæc prima, et præcipua cauſa Chriſto ſummæ huius conſternationis fuit, quòd reuera noſtris peccatis, licet ipſe innocens, oneraretur: vnde dictus eſt Agnus Dei geſtans peccatum mundi: ſicut & Eſaias teſtatus eſt: quòd verè noſtram infirmitatem ipſe tulit, & plagas noſtras portauit, omnes

Nos, inquit, tanquã oues, errauimus, vnuſquiſq; ad viam ſuam reſpeximus, & Dominus incurrere fecit in eum iniquitatem omnium noſtrum. Nam per omnia tentari eum oportuit, vt ſciret infirmitatibus noſtris compati, quemadmodum ait author Epiſtolæ ad Ebr. Quia itaq; turpitudinem peccati ſibi impoſiti vidit, & onus iræ diuinæ ſenſit, non potuit non grauiſsimè turbari et angi, ſeu vt Euangeliſta loquitur. ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν, præſertim, cùm & leuitatem, & ingratitudinem hominum, qui tàm tardè, & grauatim illud ipſius beneficium eſſent agnituri, fideq́; complexuri, præcogitauit. Nam etiamſi laceratio quoque membrorum, & mors corporis imminens eum, vt verum & naturalem hominem non potuit non percellere: nihil tamen eam Domino fuiſſe crediderim, quum reſpexit ad cauſas prius dictas, maximè ad peccati fœditatem, & iræ diuinæ ſenſum: hæc imprimis eum preſſerunt, & eius animum vſque ad mortem conſternarunt.

Quapropter huiuſmodi futuram exiſtimo ſanctorum nouiſsimi temporis illam anguſtiam, de qua Daniel vltimo capite loquitur in hanc ſententiam: In tempore illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui, & veniet tempus anguſtiæ, quale non fuit,

ex quo gentes eſſe cœperunt vſq; ad tempus illud. Cùm enim Chriſtus, qui Michael hic appellatur, conſurget, id eſt, ſublimior, & clarior pijs reuelabitur, in Spiritu nimirũ, & veritate perfecta, cadetq; omnis externa fiducia, tum intra ſe deſcendere, ſuamq́; vitioſitatẽ cum cernere, tum & mortificare coacti Sancti in tantam venient anxietatẽ, vt corporum lacerationes in martyribus luſus, ad eam comparatæ, videri poſſint. Idem et Chriſtus prædicit Matt. 24: *Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſq; ad illud tempus, neq; poſtea erit*: quia nimirum, cum ita peccato, carniq́;, hoc eſt, nobiſmetipſis mortui erimus, æternam refectionem, gloriam, & vitam inueniemus, nec poſtea mali quicquam, nedum tantùm, pertimeſcemus. Anteà quoq; pijs hæc ingens afflictio non impoſita fuit, ſicut neque Chriſtus prius ita conſternatus legitur, ſed hic demum ad metam ſui curriculi. Quare, cum Eccleſia Chriſti veſtigia inſiſtat, & exemplum ſequatur, nec aliter, quàm Chriſtus corporaliter, ipſa ſpiritualiter, paulatim excreſcat Epheſ. 4. &c. nihil abſurdi eſt, ſi lenius tractata prius, illud certamen virile ſub finem demum aggredi cum Domino, facta ei coæqualis in Spiritu, iubebitur: hoc eſt, ſi nos ipſos, & peccatum in nobis

conſpectum & reuelatum non modo ferre, ſed & vincere cogemur, quòd Laurentio & alijs plæriſq; martyribus, dum corpore patiebantur, Chriſti ſanguine tectum & obliteratum erat, ne animam eorum vſq; ad mortem affligeret. Sed Eccleſiæ grandis Agnum, ſeu Chriſtum ſequetur, quocunq; præceſſerit, vt ait Iohan. 12: Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur, &, vbi ego ſum, ibi & miniſter meus erit &c. Id, qui tum nolent, ceu ludicris puerilibus dediti ſenes damnabuntur: Quemadmodum Æſaias teſtatur, capite 65. Puer centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit &c.

Hanc anguſtiam Chriſti non omnes Apoſtoli, ſed eorum tantùm tres vident, ijdem nimirum, qui & gloriam eius antea conſpexerant, in monte Thabor, ne videlicet offenderentur nunc in hac tanta eius infirmitate, ac humilitate, qua ſe infra infirmitatem omnium hominum abiecerat. Id quod faciendum ſibi Dominus putauit, ne quisquam infirmus deſperaret. Quod enim ipſe guſtauit, nobis haudquaquam exprobrabit. Guſtauit autem non duriciam, ferociam, ſuperbiam, contumaciam, & impœnitentiam ſecurorum, à quibus procul ſemper abſuit: adeoq; talis profanorum indoles ijs, in quibus ad finem vſq;

vſq; perſtabit, non remittetur, quia Chriſto non fuit impoſita, verum vti dixi, procul ab eo ſemper fuit remota. Sed omnia alia peccata in ijs, qui afflicti ſunt, qui pauitant, lugent, gemunt, & ſuſpirant, humiliq; & mœſto animo, gratiam (quod non fit citra fidem) inquirunt, ſitiuntq; & eſuriunt iuſticiam, quoniam Chriſtus ea tulit, damnare non vult iam placatus Deus. Demus igitur operam, vt affectus hic humilitatis, paupertatis & manſuetudinis etiam in nobis inueniatur. Nam ſic vera fide Chriſto demum vniti, ſic ab æterna morte, & interitu liberi per Chriſtum erimus. Quòd autem oraturus Chriſtus octo diſcipulos reliquerit, ac ſecum tantùm tres, vt ipſius mœſticiæ teſtes eſſent, aſſumpſerit, non tantùm innuit, in orando ſeceſſum eſſe quærendum, ac turbas vitandas, verùm etiam arcanius: quòd maior Chriſtianorum pars ab hac anguſtia Chriſti futura eſſet immunis, qui videlicet ante tempus conſummationis naſcituri erant, ſed alij in conſummatione Chriſtum ſequentur.

Manete hîc, & vigilate mecum, orantes, ne intretis in tentationem. Et progreſſus puſillum ab eis ferme ad iactum lapidis, poſitiſq; ge-

nibus, procidit in faciem ſuam, proſtratus in terram, & orauit, vt, ſi poſſibile eſſet, tranſiret à ſe hora, dicens: Abba, pater mi, omnia poſsibilia ſunt tibi, ſi poſsibile eſt, tranſeat à me calix iſte: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicuti tu.

NOn puto fruſtra Spiritum ſanctum hoc loco ad tres diſcipulos poſuiſſe ſententiam hanc: Manete hîc, & vigilate mecum, orantes, ne intretis in tentationem, cùm ſupra reliquis octo dictum ſit: Sedete hîc, donec vadam, & orem illic: ſed arcanius aliquid ſignificatum exiſtimo. Rudibus enim Chriſtianis initio præceptum eſt, ab Apoſtolis, eorumq́; ſucceſſoribus, vt ſederent, illic, vbi erant, nimirum ad miniſterium elementaris doctrinæ, dum interim Chriſtus in verbo Euangelij vadit, eoſdemq́; in Spiritu præcedit: & in alio loco, ſemotus ab illis, id eſt, aliter affectus, quàm adhuc eſſe præ tempore illi potuerunt, vtpote in cœlis, orauit pro eis, & interceſſor eorum fuit: dum nos interim, ſecurè ſedimus, velut in terra, carneq́; acquieſcentes. At his tribus diſcipulis vl-

terius,

Nota

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

terius,cum Chriſto progreßis ad locū anguſtiæ, per quos Eccleſia nouißimi temporis deliniatur, non præcipitur, vt ſedeant à Chriſto ſeiuncti, ſed vt maneant,hoc eſt, vt perferant tentationem, & mortificationis neceßitatem, ad quam perducti ſunt,idq́; vigilantes cum Chriſto, tanquam die iam exorto, & orent veris gemitibus, ne intrent in tentationem,ſcilicet talem, cui fortè ſuccumberent, vel ex qua difficulter eluctarentur. Alioqui moraliter quoq; ſuauis eſt hæc ſententia: Vigilate mecum, orantes ne intretis in tentationē,quæ & alibi paßim inculcatur, ac monet, vt carnalem ſecuritatem procul vitemus: & vt cauti ſimus,ne à Satana, carne, & mundo, hoſtibus maximè terribilibus euertamur: ſed inſtemus precibus noctes ac dies,quò victoriam obtineamus in cordibus noſtris per gratiam & Spiritum Chriſti.

Deinde ſcribitur Chriſtus tamen aliquantulū & hos tres præceßiſſe,quia eſt Eccleſiæ caput,et membrorū aliorum omniū inſtar,imò Dominus. Ergo & ipſius lucta grauior aliquanto fuit quàm erit membrorū,etiam ſub conſummationem: ſicut et gloria eius illuſtrior erit,quàm aliorū etiā in conſummatione,quare præcedet ſuos quidē,ſed nō vlterius, quàm ad iactū lapidis, hoc eſt, vt nihilominus maneat ſuis in conſpectu.

Vide-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Videbunt enim pij ſaltem in æternitate lucem Chriſti, & audient eius viuificum verbum, poteruntq́ ſuos anxietatum lapides ad ipſum à ſe deuoluere, veraq́ inuocatione, & viua fide eos in illum veluti conijcere, vt ab ijs ipſi liberentur.

Tertiò conſiderandus in hac pericope geſtus Chriſti, quòd poſitis genibus, procidit in faciem ſuam, ac proſtratus in terram orauit: quò ſignificatur, Chriſtum, & verè pios, qui verè Deum inuocant, eſſe, non duros, feroces & elatos, vt cum Phariſæo ſtent apud ſe orantes, ſed afflictos & pauidos, quibus tanquam propemodum exanimatis, genua labant, ac nutant, corpusq́ vniuerſum, tanquam ſuis viribus exutum, deficit, & in terram collabitur: vt ſunt ij, qui nihil in tota rerum natura conſilij, vel ſolatij vident, ſedq́ ipſi nihili prorſus faciunt: Atq́ huiuſmodi Deus non derelinquere vult, vt vel inde patet, quòd verbi miniſtris mandet per Prophetam Eſaiam, vt manus remiſſas confirment, & genua nutantia erigant promiſſionibus nimirum Euangelicis: ipſe certè miniſtris nequaquam durior, & à miſericordia magis alienus, ne dicam, in promiſſis minus verax deprehendendus.

Quartò

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Quartò in ipſa Chriſti precatione diſcimus ante omnia, fidem eſſe neceſſariam, qua Deum intueamur. Primùm vt beneuolum nobis Patrē, cui noſtra neceſsitas curæ ſit, ac doleat. Deinde, vt omnipotentē, qui quicquid voluerit, perficere queat. Tertiò, talem quoq; ac tantum eſſe Deum agnoſcemus, vt ſub eius potente manu, ſanctaq́; voluntate ſponte noſmet debeamus humiliare, nec mordicus, vel pertinaciter ab eo velle quicquā impetrare, quod ipſi diſpliceat. Sed ſic precari, vt leproſus ille dixit Matth. 8: Domine, ſi vis, potes me mundare. Quemadmodum & Dominus hic ſubiungit: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicuti tu vis. Neq; etiam poſtea reuocat in dubium, quod prius affirmauit, cùm poſt hanc ſententiam: Omnia poſsibilia ſunt tibi, ſubiungit: Si poſsibile eſt &c. Nam poſterius dictum, non de potentia Dei, ſed de voluntate loquitur, ac ſi diceret: Scio quidem Pater te omnipotentem eſſe, & poſſe, quicquid volueris: verùm, an hoc, quod peto, velle poſsis, id arbitrio tuo committo. Quartò, ſæpius conſideranda eſt anguſtia Chriſti, ardensq́; eius deſiderium, vt ab onere illo grauiſsimo liberetur. Verus enim homo fuit, nec aliter ſecundum naturam affectus, quàm alius quiuis homo, præter peccatum, cuius pœnam quidem ſuſtinuit, ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

non culpam admiſit. Vocat autem paſſionem calicem, ſcripturæ ſacræ conſuetudine, qua ſignificanter quaſuis afflictiones, nomine poculi, ſeu calicis exprimit: quoniam & illæ, tanquã amaræ potiones, quæ ſunt contra naturam, nauſeam quidem bibentibus mouent. Sed fortiter nihilominus in ſpem conſequendæ ſanitatis ebibendæ ſunt.

Et venit ad diſcipulos, & reperit eos dormientes, & dicit Petro:



Simon

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



Simon dormis? adeo non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Vigilate & orate, ne intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus eſt, ſed caro infirma.

QVanquam in maxima animi anguſtia Dominus eſt, curam tamen ſuorum non abijcit, ſed ſubinde reuiſit eos, & ad vigilantiam, ac preces hortatur, ne incidant in laqueum Diaboli. Non aliter omnes, quotquot ſunt verè pij, nō ſic in Eremum aliquam abdere ſe debent, vt ſibi tantùm prodeſſe ſtudeant: ſed ad infirmum fratrem ſubinde recurrendum, vt & illum nobiſcum, ſi fieri poteſt, aſſumamus, & ad Chriſtum perducamus. Nec dubito quin hæc prodigioſa diſcipulorum, illo præſertim tempore, ſomnolentia, ſecuritatem, & negligentiam hominum, inprimis nouiſſimi temporis præfigurauerit. Neq; enim aliter nunc, veluti fatalē ſomnum, proh dolor, ſtertimus omnes, & nihil cōmouemur ſuper contritione Ioſeph: neq; Chriſti veſtigijs inſiſtere, nec mortificare carnem noſtram laboramus, ſed nutrimus corda noſtra, tanquā in diem occiſionis, vt armenta, quæ ad mactationem ſaginantur. Petrum præcipuè ſomnolentiæ reprehendit, partim quòd is præ alijs Chriſto ſocietatem,

vel in ipſam vſq; mortem promiſerat, partim, quòd eorum typus eſſet Petrus, qui ante alios ad Chriſti Spiritum conuerſi, poſtea fratres confirmare debent, vt ſuprà dictum. Cùm autem ait: *Non potuiſtis vna hora vigilare mecum*, noſtram taxat cæcitatem ac dementiam, quòd nos breui hoc æuo, quod Iohannes Apoſtolus nouiſſimam horam appellat, exemplo Chriſti, ſpiritualiter vigilare ſtudeamus. Corporalis enim ſomnus haud ita multum nocet in pietatis negotio, ſed animorum ſecuritas plurimum: nec tàm ille, quàm hic ſomnus impedit veram, Deoq; gratam precationem, & in graues, noxiaſq; tentationes inducit, quibus in æternum exitium impij propellantur.

Quod addit: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma*, conſolatio eſſe videtur, & ſimul admonitio. Conſolatio quidem, quòd Chriſtus nos propter infirmitatem, quæ ex carne, corruptaq; hominis natura eſt, non prorſus velit abijcere, dum ſaltem non omnino Spiritum ſanctum excuſſimus. Nam Spiritus promptus eſt, hoc eſt, in ijs, in quibus regnare permittitur, facile paulatim carnem perdomabit. Iam & admonitio eſt, quia, etiamſi Spiritus promptus eſt, & carnis victor, tamen cauendum, ne ſomnolentia, & ſecuritate, carnem foueamus

ueamus, ne Spiritum expellat. Spiritus enim, vt Paulus inquit, concupiſcit aduerſus carnem, et caro contra Spiritum, in homine ad Chriſtum conuerſo. Cum quo autem homines conſentiunt, & pugnant, is ex duobus his hoſtibus victoriam obtinebit. Monet itaq; Chriſtus, vt diligenter vigilemus & oremus, ne caro prædominetur, ſed vt carne ſuppreſſa, Spiritus libere ſuas vires exercere, & victoria potiri queat. His peractis, rurſus Chriſtus abit, vt cum patre ſuo cœleſti colloquatur, curasq́; ſuas in ſinum eius exoneret.

Rurſus altera vice abijt, & orauit, Dicens: Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire à me, niſi bibam illum, fiat voluntas tua: Et reuerſus inuenit illos iterum dormientes. Erant enim oculi eorum grauati, neq; ſciebant quid reſponderent. Et relictis illis, iterum abijt, & orauit tertiò eundem ſermonem, dicens: Pater ſi vis, transfer calicem hunc à me: Veruntamen non mea, ſed tua fiat voluntas.

Denuò commonemur hîc, primùm ſedulitatis, & perſeuerantiæ in oratione: neq; enim ſatis eſt ſemel recitaſſe preces, & poſtea ſecurè viuere, quaſi Deus tum obligatus eſſe debeat ad efficiendum, quod petimus, verum inſtandum, & perſeuerandum eſt nobis, neq; vnquàm hîc defatigari licet: ſed inſtandum tum quoq;, cùm repulſam paßi videmur, exemplo mulieris Cananææ, Matth. 15. Quod idem inculcat Chriſtus propoſitis ſimilitudinibus eius, qui noctu panes ab amico petijt, & non tam propter amicitiam, quàm propter improbitatem inſtandi, quod voluit, impetrauit. Item, viduæ, quam Iudex iniquus, licet nec Deos nec homines timeret, propter eius tamen importunitatem defendit, vt & in vita Demetrij ferè legitur apud Plutarchũ. Deinde, quòd precari debeamus maximè bona temporalia, tantùm cum conditione: ſi Deo ſic viſum eſt: hoc eſt, cum ſubiectione noſtri, qua nos humiliemus ſub potente manu Dei, nosq; Dei voluntati reuerenter ſubijciamus, vt modo quoq; dictum. Tertiò, conſiderandus eſt ſæpius affectus Chriſti, qui in ſummis conſtitutus angoribus, nihil vſquam in hominibus, & creaturis omnibus inuenit, imò neq; quærit ſolatium: Sed Deo cœleſti Patri ſuo tantùm ſupplex iacet. Quartò, cur petit, quod ſcit vtpote

verum

verus Deus, fieri non poſſe, vt Pater velit? Reſpondeo, nihil petit contra Patris voluntatem, vt ſæpius exprimit: Non mea, ſed tua voluntas fiat: ſed ex humana infirmitate, quando & verus homo fuit, petit fieri poſſe, vt à ſe calix ille tranſeat. Nec repulſam patitur, ſed id, quod petit, impetrat, nempe, vt fiat in ipſo Dei voluntas. Quintò, videndum diſcrimen inter Apoſtolorum, & Chriſti mœſticiam. Nam Chriſtus quidem in his anxietatibus vigilat, orat, & ſudat ſanguinem: Sed illi præ mœſtitudine corripiuntur graui ſomno. Sic ferè homines imperfecti quanto puniuntur magis, tanto peccatis immerguntur profundius. Quare exclamat Deus contra populum rebellem Eſa. 1: Ad quid percutiam vos vltrà, tamen aucturos præuaricationem? Sed nos in afflictionne Chriſtum audiamus, & ſequamur vigilantes, & orantes, ne intremus in tentationem.

Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum, & incidens in agoniã, ſeu luctam, prolixius orabat. Et erat ſudor eius, ſicut guttæ ſanguinis delabentes in terram.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

MIraculū hoc ingens, quòd ille ſummus & immenſus naturæ Deus in tantam ſe abiecerit humilitatem & anguſtiam, vt angelico ſubleuandus fuerit ſolatio. Miſſum enim audiuimus Angelum ad Chriſtum, hoc eſt, miniſtrum ad Dominum, creaturam ad creatorem, infirmum ad omnipotentem confortandum: Sed, qui nunc alienam induerat humilitatem, & ſe deiecerat infra angelos iuxta Prophetiam Dauidis in Pſalmo 8. vbi ſic legimus: Minuiſti eum paululum infra angelos vel Deum. Verùm etſi parum conſolationis Chriſto contigiſſe videmus per Angelum (erat enim Angelis in infinitum ſapientior & maior) tamen haudquaquā fruſtra miſſus ad eum ſcribitur Angelus. Diſcimus enim hinc, primùm, quòd Deus nequaquam Filium ſuum vnigenitum ac dilectum Chriſtum abiecerat in æternum. Sed, quòd affectu miſericordiæ feriò commotus ſit in illius afflictione: licet aliter perfici non poßit humani generis, quam volebat, redemptio. Nam hunc ſuū commiſerationis affectum Angelo miſſo, ſatis declarauit. Deinde nobis etiam hoc ſummè conſolatorium eſt: quia enim Deus Chriſtum Dominum, & caput noſtrum in tentationibus orantem exaudit, etiam nos afflictos, & ad ipſum confugientes, propter Chriſtum exauditurum illum.

illum, et angelico refocillaturũ quoq; miniſterio probabile eſt: quia capitis, & membrorum eadem eſt conditio & vita: quim vt propter nos Chriſtus paſſus, & mortuus eſt: ita & conſolatio, ac vita eius nobis, quotquot in ipſum credimus, offertur. Nos igitur hinc certò ſtatuamus, noſtras preces, quas tempore afflictionis, ad Deum effudimus, verè ad ipſum peruenire, nec vnquam ab ipſo, dum in Chriſti nomine fiunt, contemni.

Porrò, cùm Angelus Domino apparuerat (quem veriſimile eſt, Patris ei ſententiam, licet nec ipſi illam ignoranti renouaſſe, quòd nimirum oporteret ipſius ſacrificio & morte genus humanum à peccato & morte æterna liberari) iam ſibi ipſi Chriſtus renunciaturus, et obſecuturus voluntati paternæ, tantam illic agoniam, & luctam cum peccato, morte, & inferno ſuſtinuit, vt ſanguineas guttas, in terram vſque defluentes ab ipſius corpore, ſudaret: quæ certè res omnem humanum captum, & intelligentiam excedit, nec vlli vnquam homini contigiſſe legitur, nec veriſimile videtur, humanã naturã, niſi mirabiliter diuina ſuſtentata fuerit, ſine interitu ſui perferre poſſe. Sed illum vti ducem, ac defenſorem noſtrum maior decuit fortitudo. Plura, quæ in hunc locum dicenda eſſent, repe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

tantur ſupra ad dictum Chriſti: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem &c.

Monemur autem hîc, primùm, ne ſententiam damnationis, et cruciatus æternæ mortis, pertimeſcamus: quandoquidem nobis ea Chriſtus vicit, & proſtrauit: ſiquidem ei fide, veraq́ cõuerſione verè inſiti ſumus. Deinde, vt & ipſi properemus ad luctas tentationesq́ ſpirituales, & anguſtias mortis cum Domino præſertim in hac maturitate ſæculorum perferendas. Omnino enim neceſſe eſt, vt Eccleſia ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti tandem excreſcat. Et id cùm futurum eſt, omnino Chriſtum tàm in cruce, quàm in gloria, imò per crucem, & afflictionem ad gloriam ſequetur, vt ipſe nos præceſſit.

Et cùm ſurrexiſſet à precatione, veniſſetq́ ad diſcipulos ſuos, reperit eos dormientes præ mœſtitudine. Et ait illis: Quid dormitis? dormite poſthac, & requieſcite. Satis eſt. Ecce appropinquauit hora, & Filius hominis traditur in manus peccatorum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

rum. Surgite eamus. Ecce appropinquat, qui me tradit, orate, ne intretis in tentationem.

IN hac pericope primùm videmus diſcrimen inter mœſtitudinem Chriſti, ac diſcipulorum, cum illo patrem orante, ſudanteq́ ſanguinem. Hi ſomno iaceant obruti præ mœſtitudine: ſic multi rudes afflictionibus à Deo magis abalienantur, & citius fremunt contra Deum, quàm paternam eius virgã agnoſcant, & gratiam veris gemitibus, fideq́ implorent, vti ſupra quoq́ diximus allegato Eſaiæ teſtimonio. Deinde, cum ait Dominus diſcipulis: Dormite poſthac, & requieſcite, vel ironicè loquitur, ſignificans minimè tempeſtiuum, vt nunc dormiant: vel potius, de alio, nimirum arcano, ſomno & quiete, cogitat: ac ſi diceret: Quoniam ego nunc pro vobis luctam ſuſtinui, & vici, ferre poſſum, vt curam, ac triſticiam dimittentes animo ſitis quieto, dum per mundum & carnem licebit. Sed hoc non diu nobis concedetur, vt quietè, tranquilleq́ viuamus. Nam & nos vnà cum Chriſto perſecutionẽ pati cogimur, hinc neceſſarium eſt, vt ipſi ſurgamus, & perſecutoribus occurramus, id eſt, noſmet ad ferendas perſecutiones, et odia mundi, tanquã iam appropinquanti

nobis, & certò certius obuentura properemus, non ſine precibus, ne incidamus in tentationem. & ne victi à Diabolo ruamus in æternum exitium, vt prius quoq; latius dictum.]

Et continuò, adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus exiſtens è duodecim, accepta cohorte, & miniſtris à Pontificibus, ac Phariſæis, & ſcribis & ſenioribus populi antecedens turbam multam, venit illuc cum laternis & facibus, cum gladijs & fuſtibus. Dederat autem hic proditor ſignum illis dicens: quemcunq; oſculatus fuero, is eſt, comprehendite illum & abducite cautè.

NVnc Iudas è diſcipulo proditor magiſtri ſui factus, opus nocti, tenebriſq; côueniens exequitur. Huius proditoris veluti ſocij redduntur, quicunq; ventris, aut gloriæ cauſa mundum Chriſto præferunt. Tales etiamſi interdum ad honores & ampliores fortunas euehuntur, vt hic Iudas exercitui veluti dux eorum à ſenatu Politico et Eccleſiaſtico præficitur, tamen quàm ſint

ſint inſani, quantæq́ ſe implicent iam iam diuinitus infligendæ pœnæ, quis non è Iudæ exemplo videt. Interim tamen magnificè cum laternis & facibus, quia nox erat, educitur, ſed ad præceptorem innocentem, & optimè de ſe meritum apprehendendum, non aliter, quàm Eccleſiæ quoq; perſecutores, loco laternorum & facularũ artibus, & etiam ſcriptura ſacra contra veritatem inſtructi veniunt, vt veritatis cultores opprimant. Non tamen arte tantùm, & ſophiſtica nituntur: Sed & gladios & fuſtes, tanquã vi acturi contra pios adferunt. Quæ etiam omnia nihil eſſent, niſi diuinitus Eccleſia cruci exponeretur: vt multis angelorum legionibus Chriſtus fuiſſet defenſus, ſi non ſponte ſe ad paſſionem obtuliſſet.

Porrò ſecuritas, leuitas, & amentia Iudæ maximè ex eo conſpicitur, quòd non ſolum hoſtium dux eſſe ſuſtinuit, quaſi metu mortis, aut auariciæ compulſus, ac deceptus: verũ et ſignum eis dedit, oſculum videlicet, de quo poſteà commodius dicetur, & addidit, ſi Deo placet, cõmonefactionem, vt cùm apprehendiſſent eum, cautè ducerent, ne rurſus è manibus ipſorum elaberetur, vel, quia potentiam eius, & miracula ſæpè viderat, vel, ne re cognita, populus pro liberando Domino, ſeditionem concitaret, in tan-

tum nunc impietatis, & vecordiæ deuenerat, poſtquam Satan, vt prius dictum, in eum ingreſſus erat. Deniq, ſignum proditionis in Iuda notabile eſt, oſculũ videlicet, quod charitas ac dilectionis indicium eſſe ſolet. Id nunc ad capiendum Chriſtum ſit ſignum proditionis. Eodem plane modo, Eccleſia quoq, & ipſa veritas omnibus temporibus tractatur ab hypocritis, qui ſimulatione dilectionis, & fuco pietatis maxima ſemper Eccleſiæ veræq; doctrinæ ſtruunt mala. Cauti itaq, ſimus & noticia veritatis præmuniti, vitare procul hypocriſim, ac dolum addiſcamus.

Ieſus itaque ſciens omnia, quæ ventura erant ſuper ſe, proceſſit, & dixit illis: Quem quæritis? Reſponderunt ei: Ieſum Nazarenum. Dixit eis Ieſus: Ego ſum. Stabat autem & Iudas, qui prodebat eum cum ipſis, Vt ergo dixit eis: Ego ſum, abierunt retrorſum, & ceciderunt in terram.

IN his notanda nobis offeruntur ſex. Primùm, quòd hora ſuæ paſſionis Chriſto præcognita fuerit, adeoq; præter eius voluntatẽ nequaquam obtruſa, ſicuti ſupra dictũ eſt aliquoties. Deinde

quòd

quòd ſponte ſe potius ad eam obtulerit. Tertiò, cæcitas Iudæorum, qua Chriſtum ne tum quidem, quando ipſos coram alloquebatur, agnouerunt, planè ut legati regis Syriæ non agnouerunt Heliſæum, ipſos ducentem in Samariam. 4. Reg. 6. Et Sodomitæ ianuam Lot non potuerunt inuenire, Gen. 19. Id, quod augere fidem, & conſolationem afferre nobis poteſt, quoniam ſcilicet nemo nocere queat nobis, quantumuis in eorum velut manu concluſis dum id nõ paterna Dei voluntas permiſerit. Quartò, Efficacia, & potentia verbi Chriſti, nam loquens tantùm proſternit ſuos aduerſarios, & qui capere illum voluerunt, ſolo verbo, pluſquã captiuos, effecit, hinc pij conſolationem, impij verò timorem concipiant. Quintò, conſideranda hæc ſententia: Ego ſum, qua verum eſſentialem, & patri coæqualem eſſe Deum ſe teſtatur. Vt enim in Exod. 3. vocatur, Ero, vel qui ero, & alibi, qui erit, vel qui eſt, ὁ ὢν. Hic appoſite iam præſens hominibus, qui ſum, vel, Ego ſum, appellatur. Atq; in illa voce in tantùm ſuã efficaciã diuinitus exeruit, vt ſtatim velut attoniti, & iſti fulmine, retrorſum corruerint. Sextò præfiguratur in hac ſatellitũ et Iudæ conſternatione, quæ, qualis, et quàm horrẽda futura ſit impiorũ damnatio, vbi Chriſtus iratus ijs apparens loquetur:

Diſce-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

diſcedite à me in ignem æternum, cùm dicent montibus: Cadite ſuper nos, & collibus: operite nos, Benigniſsimus Deus per Chriſtum ab ea nos liberet, Amen.

Iterũ ergo interrogauit eos: quem quæritis? Illi autẽ dixerunt: Ieſum Nazarenum. Reſpondit Ieſus: Dixi vobis, quòd ego ſum, ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire, vt impleatur ſermo, quem dixerat: Ex his, quos dediſti mihi, non perdidi quenquam.

CVm proſtrati ſic hoſtes iacebant, facilè Dominus aufugere potuit, ſi mortem vitaſſet & non vltrò petijſſet. Deinde, cùm rurſus interrogauit, quemnã quærerent, addidit: dixi me eſſe, velut inculcans ipſis cæcitatem ſuam, qua diuinitus percuſsi erant, & ſuam potentiam, quam proſtrati ſenſerant. Iubens interim velut Rex, ac Dominus ipſorum, ne diſcipulos comprehenderent, quòd et illi facere coacti ſunt. Nam nec Petro, qui ſeruo Pontificis aurem dextram amputauerat ſtricto gladio, mali quicquam retulerunt, nimirum quia Dominus id prohibuerat. Tantam & captus habuit potentiam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

vt videlicet mortuus quoq; mortem cùm ſibi tùm nobis deuicit. Ratio huius mandati, quam allegat, legitur Iohan 17. in precatione Chriſti, quæ non potuit non impleri. Chriſtus enim vt æterna veritas eſt, ita nullam vnquam à Patre ſuo repulſam fert.

Et appropinquauit ad Ieſum Iudas, vt oſcularetur eum, confeſtimq; accedens, dixit: Rabbi, aue, & oſculatus eſt eum. Dixitq; illi Ieſus: Ami-



ce ad

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ce ad quid ades? Iuda oſculo Filium hominis prodis? tunc acceſſerunt, & manus ſuas iniecerunt in eum, & comprehenderunt eum.

DE impudentia, duricia, improbitate & hypocriſi Iudæ proditoris anteà quoque ſubinde dictum eſt, quæ hîc certè ſummè deſcribuntur, dum tot ſalutaribus Chriſti monitis, tot concionibus & miraculis nihil mollitus Dominum & magiſtrum ſuum, quemadmodum & vocat eum, accedit, ſalutat & oſculatur, tanquã amicum ſibi dilectiſsimum. Tales euadunt omnes leues & ambitioſi Theologi, qui principibus huius mundi cauſa ventris, opumq; & inanis gloriæ cupiditate adulantur, nihil illi ſacram ſcripturam, quam tamẽ legunt quotidie, curant, nihil Dei potentiam & vindictam reuerentur, excæcati miſerabiliter gerunt ſe tanquam veræ pietatis amicos, cùm interim omnes eius genuinos profeſſores ad mortem & interitum quærant. ô, quantus nunc eorum numerus eſt? & quantus in poſterum hoc nouiſsimo ſæculo futurus eſt?

Quid interim ijs nos faciemus? nempe id, quod Chriſtus Iudæ facit, nominans eum amicum ſuum, & fideliter adhuc à malo propoſito

reuocans: ſic & nos pacem cum omnibus, quantum fieri poteſt, ſeruare ſtudebimus, & ad bonum omnes, quos poterimus, modeſtè tamen inuitabimus, nec iniuriam vel maximam patienter à quouis impio ferre dedignabimur. Etiam ſi cum Chriſto Domino capiendi mortiq; ab ijs tradendi ſimus, non eſt enim diſcipulus ſupra Magiſtrum. Quòd autem Chriſtus capitur & vincitur, (qui veræ libertatis author eſt, vt ait Iohan. 8: Qui facit peccatum ſeruus eſt peccati: Si verò filius eos liberauerit, verè liberi eſtis) Innuit primùm, noſtrum eum eſſe Redemptorem ac liberatorem per quem credentes à ſeruitute peccati ac legis eximimur. Cùm enim ipſe pœnam nobis debitã ſuſtinuit, à pœna nos, æterna ſaltem, per illum liberamur. Tunc Eccleſia canit in hymno: Ligatus eſt, vt ſolueret. Atq; hæc ligatio Chriſti præfigurata eſt in Samſone Iudic. 15. Nam & is permiſit ſe à ſuis ligari, & ſic poſtea fractis vinculis, hoſtes interemit: planè vt Chriſtus ligatus, vinculis mortis & peccati ruptis, peccatum, Diabolum, & mortem ipſam fidelibus abſtulit.

Deinde monet hoc exemplum Chriſti, nos etiã ſic ſpiritualiter eſſe vinciendos, dum noſmetipſos abnegabimus. Nam Chriſti veſti-

gijs

Joh. 21 giјs inſiſtere cogemur. Huc illud ad Petrum Chriſti dictum pertinet: dum eras iunior, ibas quo volebas, at cùm ſenior eris, accinget te alius & ducet te, quo non vis. Id enim ad mortificationem ſpectat, vt Eccleſia quoq; permiſſa eſt in carnali cultu manere, donec plenior ætas illuceſceret, tunc certè iuſticiæ alligamur, vt Paulus ait Roma. 6: Liberati à peccato ſerui facti eſtis iuſticiæ, ad ſeruiendum Deo viuenti.

C. V.

Videntes autem iј, qui circa ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine percutiemus ne gladio? Simon ergo Petrus cùm haberet gladium, eduxit eum, & percuſsit ſummi Sacerdotis ſeruum, & abſcidit auriculam eius dextram. Erat autem nomen ſeruo Malchus.

VT Petrus cum aliјs, & præ aliјs diſcipulis Chriſto fidelitatem vel in mortem vſque promiſerat, ita nunc cum aliјs, & ante alios eam præſtat, ſed quæ tamen carnalis adhuc eſt, vt ſæpè prophanæ quoque gentes fortiter pro ſuis egerunt. At poſtea Chriſtum ſecutus, cum ſe

viri-

viribus humanis nihil amplius efficere poſſe vidit, adeo mortem exhorruit, vt magiſtrum ter abnegauerit. Multò enim grauius eſt, quietè ſe morti cum Chriſto tradere, quàm gladio percutere, belliq́ aleam ſubire pro Chriſto: Sicut etiam infinitis partibus difficilius quid eſt, quietè per veram conuerſionem ſibi carniq́ ſuæ mori, quàm pro Chriſti nomine quæuis corporis tormenta pati. Cùm proferetur illa ſpiritualiter moriendi nobiſmetipſis neceſſitas, tum plurimi, qui prius fortiſsimi viſi ſunt, Chriſtum, eiusq́ Spiritum & veritatem turpiter abnegabunt. Quòd autem ſeruo Pontificis Petrus aurem dextram amputauerit, ſignificat eos, qui Chriſtum & eius membra contra conſcientiam perſequuntur, ex verbo prædicato magis indurari, & veluti datos in reprobum ſenſum ſic excæcari, ne ſpiritualem Chriſti doctrinam, & æternam veritatem amplius verè & ſalutariter audire poſsint.

Reſpondens autem Ieſus ait: Sinite vſque ad hoc, & ait Petro: Emitte gladium tuum in locum ſuum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt.

CHriſtus non miſſus ad perdendas hominum animas, ſed ad ſaluandas, reuocat imperitos diſcipulos, à bellorum & cædium vſu, Sinite, inquiens, vſq; ad hoc, vel, huc vſq;, ſubaudi, rem venire, nam ecliptica eſt, vt mærentium, ac turbatorum oratio, quaſi dicat, ne impedite meam paſſionẽ, ſed ſinite, vt ea procedat, ſicut nunc incepit, ſinite, vt hoc, quod fieri in me videtis, ad finem vſq; perducatur. Deinde Petrum ſeorſim obiurgat, monens, vt gladium ſuum recondat in vaginam, quia videlicet non ad hoc munus vocatus erat, neq; hoc à magiſtro ſuo miti, & humili corde didicerat. Vt enim legitimè gladio policitus Magiſtratus vti poteſt, ita miniſtri Verbi, pijq; omnes in priuata vita manſuetè, patienterq; ſe veluti conculcandos impio mundo præbere debent, & non reſiſtere malo, ſed dextram percutienti maxillam ſimul & alteram aduertere, diligere inimicos, benedicere maledicentibus, oſoribus benefacere, & precari pro execrantibus & perſequentibus vnà cum Chriſto tenentur, vt ſint filij Patris ſui cœleſtis, qui Solem ſuum oriri facit ſuper malos & bonos.

Poſtea addit ſententiam generalem: qui gladium acceperit, gladio peribit, indicans omnes qui præter leges ad gladium & violentam defenſionem confugiunt, gladio tandem, aut

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

alioqui violrnta morte conſumendos eſſe. Nam vt veriſsimè alibi dixit, beatos eſſe mites, quòd terram velut in hæreditatem ſuam, contra carnis iudicium, ſint accepturi: ita magnanimi, qui vindictæ cupidi ſunt, & ſuas quaſuis iniurias vlciſci laborant, nunquam ab iniuria, & moleſtia ferè tuti ſunt, et citius etiam è medio tolluntur. Hinc eſt illud Ethnici Poëtæ: Sine cæde, & ſanguine pauci diſcedunt Reges, & ſicca morte Tyranni, quia nimirum iniuſtè ſumunt gladium. Hinc & illud Pſalmographi: Leones eſurierunt, inquirentes autem Dominum implebuntur omni bono.

An putas, quod non poſſum nunc rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plures, quàm duodecim legiones angelorum? an non bibam calicem, quem dedit mihi Pater: quomodo ergò implebuntur Scripturæ? quia ſic oportet fieri. Et cùm tetigiſſet auriculam ſerui, ſanauit eam.

Rurſus teſtatur vltro ſe ad mortem accedere. Nam ſi vi, & armis vellet defendi, certè nulla hominum potentia vel nunc ei ti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

menda eſſet. Siquidem cùm vnus Angelus facile magnum hominum exercitum deſtruere poſſit, vt patuit in exercitu Salmanaſſeris: et Chriſto angelorum omnium Domino, quandocunque peteret, à Patre, cito plures, quàm duodecim angelorum legiones, id eſt, plures, quam 79992. angeli, præbituri defenſionem adeſſent, totum facile mundum vno momento ſubuerteret. Sed quomodo tum implerentur Scripturæ, quæ videlicet eum non minacem bellatorem, ſed velut manſuetiſſimam ouem adfuturum, & amarum paſſionis calicem epotaturum prædixerunt mandato Patris, cui Filius obedijt vſq; ad mortem, teſte Paulo, Philip. 2. Vocat autem Angelorum turbas legiones, vt ſe cum huius mundi Principibus comparet, qui ſe militum legionibus, vel cohortibus munire ſolent, ſignificans ad minimum tanto ſe quouis Imperatore vel Romano potentiorem eſſe, quantum Angelus homini mortali præſtat. Commonemur etiam hîc, plæraſque Scripturas, quarum vel minimum Iota neceſſe eſt impleri, de Chriſti, cùm in ſe, tum in ſuis membris afflictione & morte locutas eſſe. Qui igitur eas ita non legit & intelligit, nihil ex eis veritatis percipit. In fine, poſtquam verbis diſcipulos manſuetudinem docuit, eandem reipſa quoq; & exemplo comprobauit, dum abſciſſam

auricu-

auriculam hoſti reſtituit. Quamobrem ſi quis vindictæ cupiditate laborat, videt, quàm procul abſit à Spiritu Chriſti, ne dicam interim, quòd hac miraculoſa auris abſciſſæ ſanatione diuinam ſuam potentiam quoq, ſi non excæcatæ Pontificum turbæ, tamen Apoſtolis ſaltem euidenter declarauerit, ne cruce et humilitate ipſius offenderentur.

In illa hora autem dixit Ieſus ad eos, qui venerant ad ſe, ad Principes Sacerdotum, & Magiſtratus Templi, & ſeniores: Tanquam ad latronem exiſtis cum gladijs, & fuſtibus, ad comprehendendum me, cùm quotidie apud vos ſederim, docens in Templo, et non extendiſtis in me manus. Sed hæc eſt hora illa veſtra, poteſtas tenebrarum, vt impleantur ſcripturæ. Hoc autem totum factum eſt, vt implerentur ſcripturæ Prophetarum.

SVperflua Principum cura eſt, quòd Chriſtum agnum innocuum, & mitiſſimum cum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

armis bellicis, quaſi non ſine magno negotio tanquam crudelem et ferocem aliquem latronẽ comprehendendũ accedunt, cùm ipſe diu quotidie in vrbe Ieruſalẽ coram ipſis docuiſſet. vt facile potuiſſet ab eis capi, ſi tempus eius veniſſet, quod priuſquã aduenit, nulla vi vel aſtu capi potuit, vt Luce 4. & Iohan. 8 et 10. patuit, vbi ſcribitur illæſus ex manibus lapidantiũ abijſſe. Quin et Ioha. 7. miſsi miniſtri Phariſæorũ ad ipſum apprehendendũ, cum docentẽ in Templo repererunt, ita doctrina eius delectati ſunt, vt re infecta redierint, dixerintq́ mittentibus: Nunquã aliquis homo ſic locutus eſt, vt ille. Quare niſi nunc veniſſet hora paſsionis Chriſti, nec arma Pontificum quicquã profuiſſent. Elegit autẽ Chriſtus hoc præcipuè ſuæ paſsionis & mortis tempus, vt mactationi veteris agni Paſchatis clarius reſponderet, quemadmodũ ſupra diximus ante cœnam. Hoc tempus appellat horam Iudæorũ, quia tum, et nõ alio tempore crudelitatem ſuã contra Chriſtum explere diuinitus ipſis conceſſum fuit, & appellat poteſtatem tenebrarum, non tantùm quia nox erat, ſed imprimis, quia tum tenebræ luci prædominari videbantur, hoc eſt, homines excæcati tum omnis lucis authorem Chriſtum, pro arbitrio, & libidine ſua tractare poterant, quod antea & poſtea nequaquam potuerunt.

Tunc

Tunc autem ideo potuerunt, vt implerentur ſcripturæ Prophetarum, quæ nunſquam non ſacrificium, & redemptionem Chriſti vel apertè, vel per inuolucra deſcribunt.

Tunc diſcipuli, relicto eo fugerunt. At vnus quiſpiã adoleſcentulus ſequebatur illum amictus ſindone ſuper nudum, & comprehendunt illum adoleſcentuli, ſed is relicta ſindone, nudus effugit ab illis.

DIſcipuli, cùm vident Dominum armis & vi defendi nolle, iamq́ manibus hoſtium captiuũ abduci, territi fugiunt, et ſolùm eum, vt agniculũ in medio luporũ relinquunt, partim, vt quæ Chriſtus prædixerat de eorum offenſione, quam & Zachariæ vaticinio confirmauerat, ſic implerẽtur, dum capto, et percuſſo Paſtore Chriſto diſcipuli omnes velut oues ab ipſo diſperſi ſunt: Partim vt ſciremus Chriſtũ vnicum eſſe mediatorẽ, et Redemptorem noſtrũ, cùm ſolus ab omnibus hominib. relictus paſſus ſit, vt dicitur Deut. 32: Deus ſolus eduxit nos, et nõ fuit cum eo Deus alienus, quapropter et ſoli ei confidere, ſoli ei ſupplicare, et gratias agere, tanquã vnico ſeruatori debemus, cùm teſte Petro, nõ ſit aliud nomẽ datũ hominib. in quo oporteat nos ſaluari,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

quàm in nomine Ieſu, qui eſt benedictus in omnem æternitatem. Poſtea deſcribitur hiſtoriola quædam ab Euangeliſta Marco, quomodo adoleſcentuli velut per iocum, & petulantiam, quendam adoleſcentulum, nulla alia veſte, quàm ſindone coopertum, fortè, quòd rumore Chriſti capti, de lecto recens ad hoc triſte ſpectaculum exiliſſet, ipſum opinor, Marcum, comprehendere tentauerint. Sed huic adoleſcenti vel iocus ille tàm viſus eſt res terribilis, vt ſindone in manibus apprehendentium relicta, quo periculum euitaret, nudus aufugere non dubitauerit. Significat hiſtoria pijs adhuc adoleſcentibus & magis infirmis, quàm vt propter Chriſtum pati, & mori ſuſtineant, nihil eſſe melius, quàm vt vel relictis omnibus temporalibus, ſi quæ habent, bonis, fuga vitæ ſuæ conſulant, quo ſaltem in exteris nationibus in vera pietate creſcere, & fortiores euadere poſſint.

Cohors autem, & tribunus, & miniſtri Iudæorum comprehenſum Ieſum ligauerunt, & abduxerunt eum ad Annam primùm, erat enim ſocer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



illius. Erat autem Caiphas, qui conſilium dederat Iudæis, quòd expediret vnum hominem mori pro populo.

LIgari Chriſtus voluit, vt nos peccato ſolutos iuſticiæ alligaret, quemadmodum paulò antè dictũ eſt. Ducitur autem primùm ad Annæ domum, non vt ibi vinctus detineretur, ac examinaretur: qui (ſi Dijs placet) honor Cayphæ ſummo Pontifici genero eius debebatur, ſed quia propior erat Annæ habitatio, non potue-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

runt non ei læticiam hanc ſuam de capto æmulo ſatellites communicare: mox tamen inde ad locum deſtinatum, ad ædes nimirum Caiphæ, qui illo anno ſummus Pontifex erat, eum perduxerunt. Caipham hunc, hic hac nota deſcribit Iohannes, quòd ſupra capite 11. dixerat: Chriſtum debere mori pro populo, quia ſcilicet inculcare vult Euangeliſta ſententiam, quam Pontifex officij ſui ratione, veluti Spiritu ſancto linguam eius mouente, licet imprudens expreßit, quòd Chriſti mors ad ſalutem cùm Iudæorum, tum gentium profectura eſſet: non, quòd ordinarij miniſtri, etiamſi impij ſunt, errare nequeant, vt Pontificij volunt: ſed quòd eos, dum impij ſunt, ita ludat Spiritus ſanctus, vt ſæpè cùm maximè ſanctos condemnare ſtudent, proferant aliquid, quod imprimis contra ſe, & pro veritate, quam oppugnant, faciat. De corruptela Pontificiæ dignitatis, quomodo iam non diuinæ vocationi, ſed quæſtui, ambitioni ac tyrannidi ſeruiret: vide Ioſephum de Antiquitatibus lib. 3. Nam & Lucas, Act. 4. quatuor Pontifices nominat: et Annam inter eos ſummum illius videlicet temporis, cui adiungit Caipham, Iohannem & Alexandrum. Sed nos hîc finem ſecundæ Concionis conſtituemus, poſtquam omnia, quæ in horto circa Chriſtum geſta deſcribuntur,

buntur,

buntur, percurrimus: Dicturi nunc tertio loco de ijs. quæ in ædibus Caiphæ Chriſtus paſſus eſt. Interim Deo Patri miſericordiarum, qui̅ Filium ſuum pro nobis tradit, ſit laus et gratiarum actio per omnem æternitatem vnà cum Filio ſuo Domino noſtro Ieſu Chriſto, & Spiritu ſancto, Amen.

PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV

Chriſti pars ſeu Concio tertia, de ijs, quæ in ædibus Caiphæ geſta ſunt.



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Et duxerunt eum ad Caipham Pontificem, principem Sacerdotum, vbi ſcribæ, & ſeniores conuenerant. Sequebatur autem Ieſum eminus Simon Petrus, & alius diſcipulus vſq; ad atrium Pontificis. Diſcipulus autem ille erat nòtus Pontifici, et introiuit cum Ieſu in atrium Pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergò diſcipulus alter, qui erat notus Pontifici, & dixit oſtiariæ, & introduxit Petrum.

IN ædibus Annæ, vti dictum eſt, non diu manſit Dominus, verum ſtatim, vbi ſocero Pontificis oſtenſus fuit, vlterius perducitur ad aulam Pontificis Caiphæ: quia illic iam ſcribæ, Phariſæi, Saducæi, & magiſtratus vrbis, tanquã de eius morte, & ſupplicio conſultaturi, congregati erant, implentes Prophetiam Dauidis: Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius, nec aliter omnibus temporibus fieri ſolet, fere Principes, & eruditiſſimi

quiq;

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

quiq́; proh dolor, contra Chriſtũ, eiusq́; Eccleſiã, & veritatem conueniunt, & ſpecioſa conſilia ſua celebrant. Petrus & Iohannes eminus Chriſtum ſequuntur, vt finem videant, non iam vt cum Chriſto in mortem eant quod promiſerant. Ac Iohannes quidem, quoniam ei noticia quædam intercedebat cum familia Pontificis Caiphæ, qua occaſione incertum, nec valde ſcitu neceſſarium, non tantùm audacter ingreſſus eſt, ſed etiam ſimul operam dedit, vt ſecum & Petrum introduceret, amicitiæ ac dilectionis opus ei, quanquam non profuturum, tamen amico, fideliq́; animo, quale potuit, exhibens, quid enim ex vſu ipſorum eſſet, planè nondum tum prouidebant, nec impiæ aulæ periculum & contagium ſatis nouerant.

Ancilla ergo ad lumen Petrum intuita dixit: Et tu cum Ieſu Nazaræo eras, num & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? At ille abnegauit coram omnibus dicens: Mulier, nõ ſum, non noui eum, neque ſcio, quid dicas.

NVnc impiæ aulæ periculo, & contagio Petrus vrgetur, quanquã initio tantùm emi-

mus non per virum fortem, & ad puniendum armatum, ſed per oſtiariæ ancillæ vocem, qua ille tantopere turbatur, ſibiq́ excidit, vt Dominum ſuum, cum quo ſe in ipſam vſq́ mortem iturum adeo magnificè pollicitus fuerat, abnegare non vereatur. Monemur hoc Petri exemplo, primùm, ne confidamus noſtris viribus, ſed vt agnoſcamus, timeamusq́ propriam infirmitatem: Deinde, vt vero corde Deum pro gratia, & auxilio ſemper inuocemus. Tertiò, deuitemus occaſiones, quibus in peccata propelli poſſemus. Deniq́ noſmet fragiles, & mendaces eſſe fateamur. Deo verò ſoli laudem veritatis attribuamus.

Stabant autem ſerui, & miniſtri, qui prunas congeſſerant in medio aulæ (quia erat frigus) & calefaciebant ſe, Erat autem et Petrus cum eis ſtans, & calefaciens ſe, & exiuit foras in veſtibulū, et Gallus cecinit.

MAximum fuit frigus tempore paßionis Chriſti, ſicut & quotannis, quando celebratur memoria paßionis eius, ferè frigus intentius eſſe ſolet, non tantùm, vt Domini augeretur afflictio (nam oportuit eum propter peccata

cata

cata noſtra propemodum & ab omnibus elementis deſeri) ſed imprimis, vt ſignificetur frigus animorum in ijs, qui Chriſtum, & eius membra perſequuntur, in quibus ignis diuinæ dilectionis, & veræ pietatis extinctus eſt, horret animus gelu profanitatis. Verum ne frigore pereant, prunas in aula Pontificis congerunt, & ſe ad eas calefaciunt, id eſt, hypocritæ, dum vero ſancti Spiritus igni vacui ſunt, nihilominus diſciplinam, & morum ac ceremoniarum honeſtatem externam aliquam colunt, ijſq́; ſe veluti prunis quibuſdam calefacere, & pro pijs gerere nituntur. Stat hìc & Petrus, vnà cum Chriſti perſecutoribus: vnde nec mirum, ſi labitur. Nam qui picem tangit, inquinatur ab ea. Eccle. 13: Et qui claudis cohabitat, claudicare diſcit, vt habet Prouerbium. Videtur tamen Petrus nonnihil hac tentatione conturbatus: Nam reliquit prunas illas, quibus cum alijs aſtiterat, & egreſſus foras in veſtibulum, audiuit primùm galli cantum: nec tamen prorſus ibi reſipuit, quia nondum Chrtſtus illum aſpexit, adeoq́; manſit in domo Pontificis, & hac abnegatione facta tutum in poſterum ſe fore ſperauit. Nam vera conuerſio ſolius Dei donum, & Spiritus ſancti opus eſt, nullis hominum viribus, & libero arbitrio ſub-

iectum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

iectum, vt dicitur: Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.

Pontifex autem interrogauit Ieſum de diſcipulis eius, ac doctrina ipſius: Reſpondit ei Ieſus: Ego palàm locutus ſum mundo, ego ſemper docui in Synagogis, & in Templo, quo omnes Iudæi conuenerunt, & in occulto locutus ſum nihil, quid me interrogas? Interroga eos, qui audiuerunt, quid locutus ſim ipſis. Ecce hi ſciunt, quæ dixerim ego.

HÆc eſt prima quæſtio, qua ſummus Sacerdos Caiphas nimirum, Chriſtum examinat de diſcipulis, ac doctrina Chriſti in hanc, ni fallor, ſententiam: Es ne author nouæ ſectæ, collectis aliquot diſcipulis, qui tua dogmata poſt te propagent? & quænam eſt illa noua, quam adducis, doctrina? Sic Pontifex imprimis eſt ſollicitus, ne aliquid in doctrina per Chriſtũ, eiusq́ diſcipulos mutetur. Vel ironicè deridet eum, quod iam, vt iudicabat, interiturus fruſtra diſcipulos collegiſſet, ac doctrinam innouare tentaſſet.

taſſet. Hæc valdè decora fuerunt perſonæ Pontificis, cui præcipuè cura de doctrina commiſſa erat. Reſpondet Chriſtus ad hanc vtramq; quæſtionem candidè admodum & modeſtè, cuius reſponſi, meo iudicio, ſententia hæc eſt: Doctrinam ego tradidi mundo talem, non quæ perpetuum velut in angulo debeat latere, ſed quæ lucem ferre poßit, & quæ palàm tandem per orbem euulganda ſit, vt nec ego cùm docui, ſollicitè latebras quæſiui, ſed plærunq; in publicis Synagogis, & in ipſo Templo quoq; Hieroſolymitano coram omnibus Iudæis, nullius iudicium ſubterfugiens, meam doctrinam propoſui. Neque eſt, quod exiſtimetis, quia nunc mundum hunc relinquam, neq; poſthac inter homines more ſolito verſans, et conſpicuus docebo, propterea mecum intermorituram doctrinam meam, quaſi nullis relictis diſcipulis, qui poſt me eam alijs prædicaturi ſint. Imò nihil vel priuatim diſcipulis meis dixi, quòd noluerim ſuo tempore publicandum eſſe. Quamobrem etiam ſi nunc moriar, nihilominus facile poſtea, quidnam docuerim, audies per eos, qui me audiuerunt. Nam illi ſciunt, quæ locutus ſim, & mea doctrina, veluti recens hæret, & poſtea dato Spiritu ſancto, magis adhuc hærebit mentibus eorum, vnde moneo, vt, ſi ſalutem amas, ex illis meis auditoribus quæras,

quidnam docuerim. Illi te ad ſalutem erudire poterunt, me non decet, vt de me ipſo teſtimonium feram &c. Diſcimus itaq; hoc exemplo Domini, modeſtè, cùm interrogamur, fidei noſtræ rationem reddere. Deinde, monemur, ne pudeat nos Euangelij Chriſti, quaſi doctrina ſit, quæ lucem ferre nequeat. Quanquam enim & Chriſtus interdum in ſolitudinibus, & cubiculis diſcipulos, veluti clam quædam in aures dixit, tamen & illa ſuo tempore voluit in platæis, ac de tectis palam annunciari. Tertiò, tàm purè, ſyncere, & circumſpectè doceamus, vt auditorum de nobis iudicio poßimus acquieſcere.

Hæc cùm dixiſſet, vnus aßiſtens miniſtrorum, dedit alapam Ieſu, dicens: Siccine reſpondes Pontifici? Reſpondit ei Ieſus: Si malè locutus ſum, teſtare de malo, ſin benè, cur me cædis? Miſerat Annas eum vinctum ad Caipham Pontificem.

Videmus, quàm libera ſit confeßio veritatis inter hypocritas. ecce vinctus ibi ſtat Dominus, vt ad Caipham ab Anna miſſus erat, & candidè modeſteq́; pro ſe, ſuaq́; doctrina reſpondet: & non modo conuitijs inceßitur, ſed & in

faci-

faciem præter ius & fas duriſſimè percutitur.
Hîc iam impletur, quod à Propheta Ieſaia præ-
dictum eſt, cap. 15: Corpus meũ dedi percutien-
tibus, & genas meas vellicantibus. Et capite ſe-
quente: Poſuiſti, ſicuti terrã, corpus tuum, &
ſicut platæam tranſeuntibus. Item, cap. 53. Et
ipſe vulneratus eſt propter tranſgreſſiones no-
ſtras, et contritus propter iniquitatem noſtram.
Nam ſic hoc loco Chriſtũ intueri debemus, quòd
nos noſtris peccatis has ei plagas infligamus, vt
ſimul verè pœnitentiam agamus: & grati ſimus
medico tàm nobis fideli, vera fide meritum eius
applicemus, diligamus eum, celebremus, ac tota
vitæ ratione verbũ, ac voluntatem eius expri-
mere nitamur. Deinde conſiderandũ eſt & man-
ſuetum Chriſti reſponſum ad ſeruum, qui contra
æquitatem vincto et modeſtè ad interrogata re-
ſpondenti duram alapã inflixerat. Nam inde di-
ſcimus partim, quòd ad iuſta iudiciã liceat ap-
pellare: contra ſententiã Anabaptiſticam, par-
tim vbi legitima defenſio per Magiſtratũ deeſt,
iniuriam à tyrannis illatã placidè, patienter, &
moderatè ferendã eſſe. Quod enim hîc ſatelles fa-
cit, Epiſcopi Domini ſui nutu facit, adeoq́; fa-
ctum eius, quantumuis enorme, tamẽ impij Pon-
tificis iudicio præmio citius, quàm pœna dignũ
cenſeretur. Vndè quid aliud poſſit pius quàm

 iniuri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

iniuriã huiuſmodi modeſtè taxatã patienter pati. Diſcimus id quoq; hoc loco, quòd impijs Dominis nõ deſint miniſtri impietatis executores: vt dicitur: dignũ olla operculum. Et: Regis ad exemplũ totus componitur orbis. Item, Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum, Lucæ 6. &c.

Stabat autem Simon Petrus in veſtibulo, et calefaciebat ſe, & puſillum poſt (primam abnegationem) vidit eum ancilla altera, & rurſus cœpit dicere ijs, qui aſtabant ibi: Et hic erat cum Ieſu Nazareno. Dicunt ergo ei: Num tu ex diſcipulis eius es? Et alius dixit: Et tu de illis es. Et iterum negauit iureiurando, dicens: Homo nõ ſum, neque noui hominẽ iſtum.

Prima abnegatio Petri contigit in aula Caiphæ: quare tum nonnihil perterritus Petrus exijt in veſtibulum, vbi primum galli cantum audiuit. Sperans autem ibi ſe tutiorem futurum. Cùm & hic ignis eſſet ſtructus, ad eum ſe calefacturus collocauit. Sed non ita multò pòſt hic vel durius quàm prius oppugnatur. Nam hæc ancilla non interrogat, vt illa prior,

ſed

ſed affirmat eum Chriſti diſcipulum eſſe: Nec id ſola iam, ſed ijs, qui aßiſtunt, illam ſequentibus. Quare perterrefactus Petrus id periculi, ſubterfugere periurio ſeu falſo iuramento per nomen Dei conatur, nec ſic effugit.

Et poſt puſillum, interuallo interiecto ferè vnius horæ, alius quidam affirmabat cum ijs, qui aſtabant, dicens: Verè & tu ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela tua te manifeſtum facit. Dixit ei & vnus è ſeruis Pontificis cognatus eius, cuius auriculam Petrus abſciderat: Nónne ego te vidi in horto cum illis. Tunc cœpit execrari, ac deierare, (dicens) Non noui hominem, de quo dicis.

VT hîc Petri, ſic ferè Eccleſiæ totius vltima tentatio grauißima eſt. Petrus enim hic & noſter typus eſt: qui cum Iſraëlitis in deſerto, quandocunq; grauis offertur vel fames, vel ſitis, aut alioqui periculum atrox, pronè murmuramus contra Deum, adeoq; Paulus de ijs 1. Corinth. 10. memorabilem hanc ponit ſenten-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

tentiam: Hæc omnia typo contigerunt illis. Scripta ſunt autem in admonitionem noſtri, in quos fines ſæculorum incidèrunt. Oportuit autem in typo deſcribi tentationem triplicem: quia tres inſignes Eccleſiæ ſunt mutationes: vt vetus teſtamentum: nouum inchoatum: & nouum conſummandum, quibus omnibus temporibus pij denuò, ſed paulatim durius, vt qui paulàtim Spiritu grandiores euadunt, in anguſtia poſiti tentantur, et non ſine vulneribus in Chriſto victoriam obtinent. Nam hic Petrus etiam velut argumentis firmis concluditur, dum proditus idiomate patrio redarguitur: & quodammodo iam ad pœnas commeritas poſci videtur, quando non iam latens amplius incidit in eum, cuius cognato modò, ipſo conſpiciente, dextram aurem amputauerat. Sed quantò periculum nobis minatur grauius, tantò tetrius peccamus, donec à Chriſto nō reſpicimur. Quare hîc non ſimplex abnegatio, nec vulgare iuramentū Petri, ſed execrationes quoq; ac deierationes falſæ deſcribuntur. Vidimus igitur in Petro noſtram infirmitatem, et noſtram in lapſus horribiles pronitatem. Vidimus peccatorem: Sed pergamus nunc, & in eo quoq; viam & modum reſipiſcendi perdiſcamus.

Et continuò, illo adhuc loquente,

te, Gallus iterum cecinit, & conuerſus Dominus intuitus eſt Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini Ieſu, qui dixerat ei: Priuſquam Gallus cecinerit bis, ter me negabis. Et egreſſus foras fleuit amarè.

HÆc aliquanto diligentius conſideranda ſunt, vt nobis viam ad veram pœnitentiã aperiant. Primùm neceſſe eſt, vt Gallus cantet, hoc eſt, vt Euangeliũ prædicetur, quod Galli cantui rectè comparatur, quia & in nocte huius ſæculi, priuſquam iuſticiæ Sol plenè exortus eſt, docetur, & futurum æternitatis, æternæq; lucis diem prænunciat. Dicitur autem à pleriſq; Euangeliſtis, quòd bis Gallus ille cecinerit, antequã Petrus verè conuerti potuit: vel quòd duplex doctrina in Eccleſia ſonet, nimirum Lex & Euangelium, quarum Lex quidem augeat magis, quàm tollat peccatũ: at Euangelium corda vi legis percuſſa rurſus erigat, & per veram pœnitentiã, viuamq; fidem ſanet. Vel vt ſimplicius eſſe iudico, quòd per priorem Galli cantum intelligatur Legis & Euangelij litera, quæ occidit, hoc eſt, in morte relinquit, & non viuificat: quare ad eam non reſipuit Petrus, verum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

cùm denuò cecinit Gallus, hoc eſt, cùm ſpiritualis doctrinæ vis cordibus noſtris per Spiritum ſanctum afflatur, ibi tum Chriſtus ad nos ſe conuertit, & oculis miſericordiæ, & efficatiæ ſuæ nos intuetur, mouetq́; & excitat è ſomno lethargico cor noſtrum, tunc recordamur infirmitatis noſtræ, tunc Deo laudem veritatis tribuimus, nos ipſos damnantes, & filios iræ, ac æternæ damnationis, agnoſcentes: Tunc & eximus ab aula impij Pontificis, id eſt, intelligimus illum hypocritarum cœtum, cum quo fuimus eò vſque coniuncti, non eſſe veram Eccleſiam Chriſti, ſed eſſe Synagogam Satanæ, nec ſaluari quenquam, qui non aliter, quàm literæ mancipia, etiam in externa Eccleſia, viuat, quapropter exibimus ab illis: nimirum aliter ſentiemus, & aliter poſthac affecti erimus, aliter loquemur, aliter agemus.

Quid autem agendum ſit, etiam hîc exprimitur in exemplo Petri, quum ſubijcitur: Et egreſſus foras, fleuit amarè. Cùm enim rei ſimus, & à iuſticia, pace, vitaq́;, nempe à Chriſti Spiritu ſeiuncti, quid aliud par eſt, vt in hoc exilio triſtiſsimo faciamus, quàm flere, et quidem amarè. Siquidem quantò maius amiſſum bonum, tantò grauior luctus eſſe ſolet. Cùm igitur cœlum & ipſum Deum vnicam vitam, & ſalutem anima-

animarum noſtrarum amiſerimus, quid magis conuenit, quàm vt omni carnis gaudio depoſito, lugentes, & capite demiſſo per hoc ſæculum in vera pœnitentia ambulemus. Cæterum id vt verè poſſimus, diligenter ad illum Galli cantum, præſertim poſteriorem, nimirum ad efficacem Spiritus ſancti doctrinam, quæ, quòd nouiſſimo tempore ſub conſummatione omnium reuelanda ſit, prædicitur, attenti ſimus, quo Chriſtus ad nos ex viſceribus miſericordiæ ſuæ conuerſus nos intueatur, & huc perducat, Amen. Porrò duo Euangeliſtæ Lucas & Iohannes hanc hiſtoriam de abnegatione Petri ponunt poſt ſequentem examinationem, qui ordo & magis congruere videtur, ſed hoc parum nos mouet, nam fieri poteſt, vt diuerſis locis eodem ferè tempore geſta ſint, vnde res eodem tendit, ſiue dicamus: Petrus abnegauit, & Chriſtus examinatus eſt, vel: Chriſtus examinatus eſt, & Petrus Dominum abnegauit.

Princeps autem Sacerdotum, & Seniores, & totum conſilium quærebant falſum teſtimonium contra Ieſum, vt morti eum traderent, & non inueniebant, etiam cùm multi falſi

tes acceſſiſſent. Non enim erant ſatis idonea teſtimonia.

MVndi peruerſi mores graphicè hîc deſcribuntur. Primùm videlicet Chriſtum, eiusq́; viua membra nullo modo ferre poſſunt, ſed extinctum eum quamprimum, & obliuioni traditum vnicè cupiunt, vt & in libro Sapientiæ cap. 2. dicitur: Circumueniamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis. Et Ierem. 11: Deijciamus arborem propter fructum ſuum, et ſuccidamus eam è terra viuentium. Deinde, cùm iure nihil contra Chriſtum poſſunt, nec iniuria falſisq́; teſtimonijs abſtinendum ducunt, dum è medio tolli queat: quo iure, quáue iniuria futurum ſit, nihil habentes penſi, quia Chriſtum eiusq́; membra trucidare tàm gratum Deo cultum eſſe iudicant, vt per eum quæuis vel atrociſsima flagitia facile condonauerit: vt et Dominus Iohan. 16. prædixit. Tertiò, videmus hinc innocentiã Chriſti, quæ tanta eſt, vt nullæ tàm idoneæ, belléq́; detortæ, & fucatæ inueniantur calumniæ, quibus aptè ſatis, & veriſimiliter denigrari poſsit. Vnde Iohan. 8. dicit: Quis me arguet peccati? nec aliter omnes calumniæ, quæ contra verã Eccleſiam excogitantur, paulo pòſt, vti fumus, ac vapor euaneſcunt. Quartò rurſus hîc diſcimus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

mus, malis Dominis non deeſſe corruptos miniſtros.

Nouiſſimè autem venerunt duo falſi teſtes, & teſtimonium falſum ferebant aduerſus illum dicentes: Nos audiuimus eum dicentem: Ego poſſum diruere, & diruam templum hoc Dei, quod eſt manibus factum, et tribus diebus aliud ſine manibus factum exſtruam. Et ne ſic quidem idonea ſatis erant teſtimonia eorum.

DVo procedunt contra Chriſtum teſtaturi, quia prohibitum fuit in Lege, Deut. 17. ne vnius in cauſa capitali teſtimonium valeret, ſed in ore duorum aut trium teſtium ſtabat omne verum. Quare vt alicuius momenti teſtimonium hoc eſſet, duo ſimul idem affirmaturi procedunt. Videmus autem hoc loco, quales Chriſtus habeat auditores, & quàm calumnioſè de verbis eius, quæ non intelligunt, carnales iudicent. Chriſtus enim hæc verba, quanquam non prorſus ita nec in illam ſententiã protulit quidẽ Ioh. 2. cùm ſignum ab ipſo quærentibus reſpondit: Soluite templũ hoc, et in tribus dieb. reædificabo illud, loquens non de lapideo templo ſed de

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

corpore ſuo quod à Iudæis diſſolutum, ac morti traditum intra triduum ipſe diuina potentia reſuſcitaturus eſſet. Quæ Chriſti verba quòd ſic intelligenda eſſent, etiam Phariſæi videntur ſciuiſſe, cùm iubent poſtea ſepulchrum cuſtodiri vſq; ad tertium diem, at hi falſi teſtes nolunt ea ſic accipi, vndè multa de ſuo addunt, nempe manibus factum, & uon manibus factum, quæ Chriſti dicto non inſerta fuerunt. Sic & hæretici vertunt & peruertunt Chriſti verba, donec tandem ea velut cogant in ſuam ſententiam. Sed nihil efficiunt, neq; hac ratione redduntur idonea ſatis eorum teſtimonia. Veritas enim facile ſua luce falſitati quantumuis fucatæ præfulget, vt nullum in Chriſti vel doctrina, vel vita crimen veriſimiliter hærere potuit: Eo enim hæc omnia ſpectant, vt innocentiam Chriſti conteſtentur.

Et ſurgens ſummus Sacerdos in medio interrogabat Ieſum dicens: Nihil reſpondes? Cur ipſi aduerſum te dicunt teſtimonia? Ieſus autem tacebat, neq; quicquam reſpondebat.

Pontifex quando teſtimonia dicta ipſi non ſatisfaciunt, ſurgit in medium, & rurſus

Chriſtum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Chriſtum examinat, non tàm vt veritatem diſceret, quàm, vt ſi forſan aliud ei, dum reſponderet inconſideratius, excideret, id arreptum cauillari poſſet. Chriſtus igitur, quem nihil quid faciendũ, omittendúmue latet, reſpondere ſuperſedet, primùm quòd ſciret ipſum non inquirere veritatem, nec apud eum quicquam defenſionem ſuam valituram, præſertim, cùm paulò antè modeſtè pro ſe reſpondens, alapam in faciem accepiſſet. Deinde, quia nec hoc ignorabat: Innocentiam ſuam, & teſtium vanitatem ſatis ipſis Pontificibus, & Phariſæis eſſe cognitam. Tertiò reſpondere noluit pro ſe, quia mortem refugere noluit, ſed ſponte ſe ad eam obtulit, vt Eſa. 53. ait: Oblatus eſt, quia voluit &c.

Rurſus princeps Sacerdotum interrogauit, & dixit illi: Tu es ille Chriſtus filius benedicti? Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, an tu ſis Chriſtus filius Dei.

IAm cùm nihil Dominus ad inepta falſorum teſtium inuenta reſpondere dignatur. Pontifex ex ipſius ore palàm audire vult, an ſit Chriſtus in Prophetis promiſſus, & an ſit filius Dei

bene-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

benedicti, quemadmodum aliquoties ex ipſo prius audiuerant, ſed credere nolebant, neque nunc ei credituri: Sed ideo tantùm veritatis confeſſionem audire volunt hypocritæ, vt accuſandi damnandiq́ confeſſoris materiam, & occaſionem inueniant. Quare Chriſtus ad has impiorum captiones ferè tacet, cùm ſine fructu reſponderet. Nunc tamen, quum per Deum viuum, quem ſummè, vel vnicè potius reueritus eſt, adiuratur, non amplius tacere ſuſtinet, ſed veritatem confitetur his verbis:

Dicit illi Ieſus: Tu dixiſti, ego ſum. Veruntamen dico vobis: poſthac videbitis Filium hominis ſedentem ad dexteram virtutis, & venientem in nubibus cœli.

QVanquam præſciret Dominus teſtimonium ſuum non emendaturum reprobos aduerſarios ſuos, tamen partim ob diuini nominis, quod plurimi faciebat, reuerentiã, partim, vt ipſi redderentur prorſus inexcuſabiles, palàm confeſſus eſt, ſe eſſe Filium Dei, quod enim præmiſit, veluti præfaciunculã, phraſim hanc: Tu dixiſti, nõ eſt tergiuerſantis, ſed modeſtè veritatem agnoſcentis, et approbantis. Quod autem ſubiungit: Veruntamen dico vobis: Poſthac videbitis Filium

lium hominis. Notat optimè Chriſtũ præſciuiſſe, quòd hinc ipſum, veluti blaſphemũ in Deum, eſſent condemnaturi, quaſi dicat: etiamſi nunc me pro filio Dei nõ voletis agnoſcere, ſed potius morti turpißimæ propter confeßionẽ hanc adiudicabitis, tempus veniet nihilomus, quo velitis nolitis experiemini me verum eſſe Meßiã & filium Dei benedicti: cùm videlicet in fine mundi reuertar ad vniuerſale iudicium, tum non, vt nunc ſub humili ſpecie latebo, ſed ſedebo ad dexterã virtutis: id eſt, Rex Eccleſiæ palã declarabor, et manifeſtè præ me feram æqualẽ cum omnipotente Patre meo virtutem, ingreſſus nubes cœli. Nam in aëre tum ſeſſurus creditur. Quanquã per nubes cœleſtes etiã intelligi poſſent ſancti, et verè pij de terrenis cõtagijs ad cœleſtia deſideria tranſlati: cum illos in conſummatione ſæculorũ, in cordibus eorum per omnem æternitatẽ habitaturus, ingredietur Chriſtus per Spiritum ſuum ſanctum: en tum eius maieſtas etiã impijs omnibus patefiet, et in æternas pœnas eos abijciet.

Diſcimus igitur ex his Primùm, quòd in gloriam Dei de donis, & gratia Dei nobis collata rationem reddere cogamur, etiam coram impijs aduerſarijs noſtris. Deinde, vt ſimus mites exemplo Chriſti, patienterq́; in afflictionibus extremum Dei iudicium expectemus. Tertiò, Chriſti potentiam agnoſcamus, amplexemur, ac

dignè

dignè timeamus, priuſquam ſerò cum noſtro magno malo nobis ea pateſiat. Quartò demus operam, vt nos quoq; ſimus de nubibus hiſce cœleſtibus, quas Chriſtus tandem ingreſſurus eſt, id eſt, ſimus homines verè pij, & in quorum corda Spiritus veritatis intrabit, vt ibi conſpectus impijs horribilis Iudex, at placidus pijs patronus ac redemptor per omnem æternitatem inhabitet.

Tunc princeps Sacerdotum diſcidit veſtimenta ſua, dicens: bla-



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ſphemauit: quid inſuper egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam eius, quid vobis videtur? Illi verò omnes condemnauerunt eum, dicentes: Reus eſt mortis.

Condemnatio

IN hunc finem hypocritæ pios examinant, vt videlicet habeant aliquid, quod eorum damnationi iam antea apud ſe conſtitutæ, veluti cauſam prætexant. Idq́; grauibus & ſerijs geſtibus, quemadmodum Caiphas hîc diſcindit veſtimenta ſua, quod ſignum eſſe ſolet maximi doloris. Verùm quia ſæpè dolorem hoc geſtu ſimulabant hypocritæ, reijcit illum Deus Ioelis cap. 2. vbi veram, non ſimulatam pœnitentiam requirens: Scindite, ait, corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Vult itaq; & Pontifex hîc videri magno dolore, velut audita blaſphemia in Deum, affectus: adeoq́; & veſtimenta ſua ſcindit, & primus Dominum, tanquam blaſphemum damnat, & aliorum quoq; contra illum ſententias poſcit: Quas etiam facile obtinet, quia morbo omnes eodem laborabant, odio videlicet Chriſti, veræq́; eius doctrinæ, & Spiritus. Qui etiã alioqui, cum capita primaria ſunt impia, parum Chriſti pauperibus auxilij ſperandum ab inferiori-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

*rioribus, qui ſuo ſuffragio fere citius humilē pi-
um damnarunt, quàm ſuos illos patronos, quibus
placere ſummopere ſtudent, & à quibus, neſcio
quid commodi ſperant, diſſentientes offenderent.
Atq; his geſtis, dum nimirum omnium ſuffragia
contra Chriſtum audita ſunt, tanquā nacti, quod
quæſiuerant: Principes diſceßiſſe, & cubitum
iuiſſe videntur. ſatellitibus Chriſtum per no-
ctem cuſtodiendum relinquentes.*

Tunc viri, qui tenebant Ieſum illu-
dentes ei, expuebant in faciē eius, &



colo-

colaphis eum ceciderunt. Alij verò, cùm obtexiſſent faciem illius, palmas in faciem eius dederunt maximè ſerui, dicentes: Vaticinare nobis Chriſte, quis eſt ille qui te percuſſit. Et alia conuitiantes dicebant in eum.

HAc pericopa breuiter, & veluti per tranſennam conſpiciendum datur nobis, quomodo Chriſtus, poſtquam à Principibus damnatus, mortiq́; adiudicatus fuit, hanc vltimam in terris noctem traduxerit, videlicet, haud molliter, ſed ſumma cum anguſtia, dum crudelibus crudelium dominorum ſatellitibus, veluti morio (cui illudendo, certatimq́; plagas inferendo ſe oblectarent) relictus eſt. Sed ita fieri neceſſe fuit, vt implerentur Scripturæ Prophetarum, imprimis ea, quæ Pſalmo 22. ponitur his verbis: Ego vermis, & non homo, probrum hominis, & deſpectus plebis. Omnes videntes me ſubſannauerunt me, aperuerunt labium ſuum, mouerunt caput. Et mox: Circumdederunt me iuuenci multi, tauri Baſan obſederunt me, deduxerunt ſuper me os ſuũ, Leo rapiens & rugiens etc. Sic & Eſa. 50. Dominus Deus aperuit mihi aurem, & ego non rebellis fui, nec retrorſum ceſſi,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

dorſum meum dedi percutientibus,& genas meas vellicantibus, faciem meam non abſcondi ab ignominijs,& ſputo. Item, Mich. 5. Sceptro percuſſerunt maxillam iudicis Iſraël. Præcipuè verò Eſa. 53. Non erit illi forma, nec decor, videbimus eum, ſed non erit ſpecies, vt deſideremus eum, contemptus erit, & viliſsimus virorum, vir plagarum,& expertus infirmitatis ita, vt quis occultauerit faciem ab eo, ſpretus erit et nihili faciemus eum. ſed verè infirmitates noſtras ipſe feret,& plagas noſtras pertulit &c. talis, en, eſt noſter Dominus, cuius inſiſtere veſtigijs, exemplisue præſcriptis debemus.

Vide nunc, quomodo nos veluti Magiſtro meliores eum ſequamur, quibus graue, ne dicam, intolerabile eſt vel minimam iniuriolam aut ignominiam quieto, patientiq́; animo perferre. Quin ſi ſapimus, ponamus veteris Adæ ſuperbiam, tumorem & ferociam, ſimus mites, & humiles corde. Nam id præcipuè præcipit Chriſtus, vt ab ipſo diſcamus. Ac tales facile quoq; reliqua vitia, qualia ſunt: ira, vindictæ cupiditas, impatientia &c. vincemus. Superbia enim rectè dicitur mater & radix omnium reliquorum vitiorum, & vita veteris hominis, quæ dum cadit, velut exareſcit caro, cum ſuis fructi-

fructibus. Quomodo autem ſuperbire poterimus, ſi ſæpè pio affectu noſtri redemptoris exemplum intuebimur, qui à viliſsimis homunculis, à ſeruulis, & lictoribus, certè ab impijs nebulonibus ita contemni, ludi, conſpui, & verberari ſine iræ & impatientiæ ſignis pro noſtro peccato patitur? Demus operam, vt proprium ob peccatum in Spiritu Chriſti, qui viuis eius membris omnibus affunditur, idem efficere patiue aſſueſcamus.

Porrò luſus ille, quo Chriſto perſtringunt oculos, & velut ignoranti authorẽ, colaphos infringunt, vt eius in arte vaticinandi vanitatem redarguant, imago eſt prauitatis mundi, præſertim aulicorum, qui clam pijs apud ſuos, maximè principes nocent, & quodãmodo colaphos infringunt, nec id feciſſe publicè videri volunt. Euulgabitur tamen, cum occulta cogitationum omnium tandem patefient. Interim pij patienter ferre coguntur non tantùm grauiſsima damna, ſed & ruditatis, & imperitiæ titulum. Nec etiam notare vel punire velle debent eos, quos huiuſmodi colaphorum authores eſſe ſciunt, ſed humiliare ſe ſub potente manu Dei, ſoliq; ei iudicium, & vindictam committere tenentur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Mane autem facto, conuenerunt omnes principes Sacerdotum & Scribæ, ſenioresq́ populi, ac totum concilium, & inierunt conſilium aduerſus Ieſum, vt eum morti traderent. Et duxerunt eum in conſilium ſuum, dicentes: Num tu es ille Chriſtus? Dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non creditis: quòd ſi etiam interrogauero, non reſpondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc tempore erit Filius hominis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt ergo omnes: Tu ergo es filius Dei? Et dixit ad eos: Vos dicitis, quia ego ſum. At illi dixerunt: Quid adhuc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audiuimus ex ore eius. Et ſurgens vniuerſa multitudo eorum vinctum abduxit Ieſum à Caipha in prætoriū, tradiditq́ Pontio Pilato præſidi. Erat autem adhuc mane.

VEſperi quoq; præterlapſo, ſuis ſuffragijs, quotquot aderant, cum Caipha morti Chriſtum adiudicauerant: Sed quia tunc ex ordinarijs ciuitatis iudicibus nonnulli abſuerant, iam omnes rurſus conueniunt, & in concilio ferè eodem modo contra Chriſtum procedunt. Reſpondet Dominus, primùm nullam in ſua veritatis confeſſione fore vtilitatem apud eos, cùm nec ipſi credere, nec ad interrogata, tanquam veritatis inquiſitores, candidè reſpondere dignentur, ſicut antea, quum quæſiuerat ex ipſis de Baptiſmo Iohannis, an è cœlis vel ex hominibus eſſet, neutram partem affirmare dignati erant, nequaquam enim ignorabat Dominus, quid huiuſmodi ſuis examinibus aduerſarij quærerent, videlicet, nihil aliud, quàm vt ſpecioſius ipſum occidere poſſent.

Deinde tamen veritatem confitetur ijſdem ferè verbis, quibus & præcedente veſperi fuerat vſus, aſſerens nimirum, ſe, qui tunc, vt verus homo, ſe humiliauerat vſq; ad mortem crucis, non propterea prorſus interiturum, ſed inde magis glorificandum. Primùm in Euangelio per orbem publicando, ſed tandem etiam in Spiritu, & virtute: quando et aduerſarij ipſius in iudicio ſcilicet extremo, verũ ac omnipotentẽ Deum,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

iudicemq́ omnium viuorum, & mortuorum agnoſcere cogentur eum, quem olim ipſi conſpuerant, damnarant & crucifixerant.

Sed his auditis clarius rurſus audire volunt hoſtes, an eſſet filius Dei, quod cùm etiam Dominus modeſtè agnoſceret ac fateretur, tunc omnes vnanimiter, & blaſphemum in Deum, condemnant, & vinctum abducunt ad Pilatum, vt nimirum grauiſsimam impetrarent ab illo mortem, qualis erat crux. Quanquam enim fortè ius & poteſtas blaſphemos lapidibus obruendi, vel ſimili leuiore tollendi eos morte relicta fuiſſe videtur à Romanis populo Iudaico, cum infra dicat & Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum legem veſtram iudicate eum, tamen ad minimum in crucem tollere, quos vellent, ijs non licuit. Vnde Pilato tunc reſponderunt: Nobis non licet interficere quenquam, ſcilicet in crucem ſublatum. Cùm ergo hanc ignominioſam ei mortem vellent infligi, ſiſtunt eum Pilato, ſuperiori Magiſtratui ſuo, quo ſimul & implerentur Scripturæ, quæ illum & gentibus tradendum, & inſtar ænei ſerpentis, peccati nimirum, et maledictionis noſtræ reum, ex ligno penſurum clarè prædixerant.

C. VIII. Tunc videns Iudas, qui eum tradi-

tradiderat quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus Sacerdotum, & Senioribus dicens: Peccaui, tradens ſanguinem innoxium. At illi dixerunt: Quid ad nos? Tu videris, & proiectis argenteis in Templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit. Suſpenſus autem crepuit medius, & effuſa ſunt omnia viſcera eius.

Metuite nunc peccatores, quicunq; ſecuri ſine vera pœnitentia viuitis. En Iudas modò tàm erat ferox, ducebat exercitum armatum, conſilia dabat ſatellitibus, vt vinctum Ieſum cautè abducerent. Ipſe animosè Dominum accedebat, Rabbi eum appellans, & in fictæ amicitiæ ſignum oſculans tanto cum decoro, vt vix tum quoq; Apoſtolis de proditione fuerit ſuſpectus. Nunc vna præterijt nox, & en, adſunt furiæ pœnas æternas expoſcentes. At quid tibi nunc Iuda deeſt? habes magnum argenti cumulum vnicè diu per fas & nefas quæſitum, Quid obſtat igitur, quo minus iam viuas beatè?

 nempe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

nempe obſtat iactum in cor tuum iræ diuinæ fulmen peccati reuelati vermis, & conſcientiæ malè tutatæ morſus. Hinc pecuniam prius tantopere amatam etiam odio proſequeris, refers ad Sacerdotes, & relatam proijcis in templum, forſan & eo opere ſolaminis, vt fieri ſolet, nonnihil quærens. Quin etiam vitam, pro qua modo fur, & proditor innocentis Magiſtri fieri ſuſtinuiſti, laqueo finis. Nos, fratres chariſſimi, prudenter agamus, ante omnia quæramus regnum Dei, quo reliqua ſimul cum eo diuinitus nobis adijciantur. Nam ſine regno Dei, eiuſq́; iuſticia quæſita hæc paulo pòſt nauſea, et maximum tormentum futura ſunt, dum iudicium, & iram Dei contra ſontes magis exacuent.

Solent hic interpretes vſitatè peccatum, & pœnitentiam Iudæ cum peccato, pœnitentiaq́; Petri conferre: Quod nos quoq; faciemus, vt clarius hunc textum pius Lector intelligat. Primùm enim vterque tàm Petrus, quàm Iudas contra maximum ſubiectum, nempe contra Chriſtum filium Dei deliquit: & proditionis quædam ſpecies eſt, etiam amicum Dominum, & præceptorem in ſumma neceſſitate, non tantùm nō contra Sycophantas vero ſaltē teſtimonio defendere, ſed etiam ignotum, & nunquam viſum (tanquam ſua quoq; ſententia damnatum) deierare. Verùm cauſis & finibus in

immen-

immenſum Petrus à Iuda differt. Iudas enim
auaricia corruptus ex deſtinata malicia, matu-
raq́ ſecum habita prius deliberatione Chriſtum
prodebat in illum finem, vt periret, & vt ipſe
diues, ac Pontificum amicus redderetur. At
quid Petrus? nec propoſitum habuit abnegan-
di Dominum, ſed eum & gladio defendere iam
antea cœperat, nec eum ſublatum, at vnicè, ſi fie-
ri potuiſſet, ſeruatum cupiebat. Verùm, dum im-
prudenter incidit in periculum, cui ferendo par
nondum erat, quod tamen aliquo modo declina-
re ſtuduit, cùm ex aula poſt primam abnegatio-
nem egreſſus in veſtibulum, humana compulſus
fragilitate, metuq́ mortis, ipſe quoq́ grauiter
quidem peccauit, ſed nequaquam ſic, vt cum Iu-
dæ peccato conferendum eſſet eius delictum:
Quoniam humanus tantùm Petri lapſus fuit: at
Iudæ Diabolicus, vt prius audiuimus, quòd
poſt offulam Diabolus in eum ſit ingreſſus: tot
enim cœpiſſe Chriſti beneficia, tot audiuiſſe ſua-
uiſſimas et efficaciſſimas eius cõmonefactiones
non modò per integrũ ferè triennium, ſed etiam
adhuc in ipſo fatalis impietatis Iudæ curſu: &
nihilominus omnibus illis contemptis authorem,
Dominum, ac magiſtrum ſuum benigniſſimũ,
qui nulla eum vnquã iniuria læſerit, ob exiguũ
lucellum vendere, venditumq́ animo obſtinato
feroci-

ferociter, & impœnitenter in mortem crudelibus aduerſarijs prodere, nemo certè, niſi planè iam Diabolicus factus, & in reprobum ſenſum datus, potuiſſet. Si enim Phariſæi, qui Chriſti miracula Beelzebub aſcribebant, in Spiritum ſanctum à Chriſto peccaſſe dicuntur Matth. 12. & Luc. 11. nihil delinquerimus nos quoq; ſi Iudam in Spiritum ſanctum peccaſſe dixerimus. Nam & deſcriptæ in cœna & horto circumſtantiæ planè id affirmare videntur, nec exitus hic diſſentit: At Petri delictum ab eo longè diuerſum fuit. Siquidem præter animi ſententiam ex imbecillitate lapſus eſt, nec ſæuiora cuiquam, quàm ſibimet inflixit vulnera. Quare ipſe piorum omnium, qui ſæpè & ipſi labuntur, exemplum eſt: At Iudas reproborum, & condemnatorum typus, quem, qui imitantur, nunquam ſalutariter vereq; reſipiſcunt, vt qui Spiritui ſancto iam ſui cordis oſtium præcluſerint, ſed reliqua peccata omnia maioris lucis aduentu diſcuti poſſunt: vti Petrus veram egit pœnitentiam, & apud Chriſtum locum ſuum retinuit. Iudæ verò pœnitentia non fuit ſalutaris. Quanquam enim & doluit & ſe proditorem accuſauit, mercedem iniuſtam reſtituit, & Chriſto teſtimonium innocentiæ reddidit: quæ & in vera pœnitentia ſic ordine fieri debent: attamen

quia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

quia fides in eo non accenſa eſt, ſed fugit Deum, & fremuit, dolor eius non ſalutaris pœnitentia, verum æternæ damnationis initium vocandum eſt.

Patet hinc etiam Sacerdotum, in malicia ſua, pertinacia. Quanquam enim in Iudæ ſubuerſione miraculum & vltionem Dei vident, nihilominus pergunt exequi ſuum in crucifigendo Chriſto propoſitum. Tu, inquiunt, videris, quid ad nos? Imò plurimùm etiam ad vos. Nam non de Iuda tantùm, ſed ſimul de vobis omnibus à Chriſto verè prædictum fuit ad Iudam: *Filius hominis quidem vadit ſicut ſcriptum eſt de eo, ſed væ homini, per quem vadit*, illud væ ſuo tempore vos etiam vrgebit. Quin Iudas dignos quoq; ſua impietate conſolatores quærit, videlicet, qui ipſum diuinitus quaſſatum propellant in interitum: Ita nihil boni expectes à prauo ſodalitio, Sed vt labia piorum ſtillant gratiam, & miſericordiam, ſic impiorum proferunt petulantiæ, ac deſperationis contagia. Diſcedit itaq; Iudas ab ijs, ac ſuſpendit ſeipſum, & ſuſpenſus crepuit medius, ita vt omnia inteſtina eius effuſa ſint, illud væ à Chriſto modo contra ſuos perſecutores prolatum, quod hactenus contempſerat, nunc ſentiens, & ipſa re miſerrimè declarans, quòd iuxta Pſal-

mum,

mum, mors peccatorum ſit peſſima. Prædictus autem fuit hic Iudæ exitus in aliquot Pſalmis, & maximè Pſal. 108. vbi ſic Dauid loquitur: *Viſitare fac contra eum malum, & Satan ſtet à dextris eius, cùm iudicatur exeat impius, & oratio eius ſit in peccatum, ſint dies eius pauci, & epiſcopatum eius accipiat alter, ſint liberi eius orphani, & vxor eius vidua &c.* Præfiguratus etiam eſt in Architophelis interitu 2. Reg. 17. Sed hæc de Iudæ, & reproborum ſimul omnium interitu dicta ſufficiunt. Sequitur quid circa reſtitutam Iudæ pecuniam actum ſit.

II. Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: non licet eos mittere in carbonam, quia precium ſunt ſanguinis. Conſilio autem inito, emerunt ex illis argenteis mercede iniquitatis, agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Et innotuit omnibus habitantibus Hieroſolymæ, ita vt appellaretur ager ille lingua illis vernacula, aceldama, id eſt, ager ſanguinis, vſq; in hodiernũ diem.

IVdas deſperabundus pecuniam in templum proiecerat, quæ deinde ſic à Pontificibus collocata eſt, vt eius rei conſideratio minimè ſit inutilis. Notanda ſunt autem ordine quinq; hæc: Primùm, præpoſtera Phariſæorum religioſitas, 1.
dum hic timent, vbi timor non eſt. Nam de pecunia parum Deo curæ eſt, ſed cor is intuetur: 1. Sam. 16.
& id, ſi iniuſticia, crudelitate, odio, & homicidio fœdum eſt, vnicè damnat. Iudæi verò hîc planè cæcuciebant: at ne precium ſanguinis in gazophylacium veniret, ſollicitè præcauebant. Deinde, quum tantopere cauent, ne triginta ar- 2.
gentei, quos vocant precium ſanguinis, in carbonam conijcerentur, teſtimonium contra ſe dicunt, quòd Chriſti præſciuerint innocentiam, quodq; illum adeo mala conſcientia damnauerint. Quid enim hoc aliud eſt, quàm fateri, triginta illos argenteos malè partos eſſe, & pecuniam eſſe, qua ſanguis iuſtus venditus eſt? nam ſi Chriſtus nocens fuiſſet, cur ſanguinem illius emiſſent? cur & in carbonã, ſeu ciſtam templi conijcere nummos illos argenteos vti templo indignos eſſent, reueriti? nec eſt, quod culpam totam in venditorem Iudam reijciant, nam & emptor in tàm impio contractu nequaquam excuſatur. Tertiò, videmus hîc, quòd impiorum quoq; 3.
conſilijs Deus vtatur in ſuam gloriam, hinc pro his argenteis imprudenter agrum figuli in

pere-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

peregrinorum ſepulturam emunt, qui perpetuũ, in ipſorum ſummam ignominiam, eſſet veluti monumentum paßionis Chriſti, & hoc iuxta vaticinium Propheticum, præſertim cùm & vulgo nomen agro fuit impoſitum akeldama, id eſt, ager ſanguinis, vt ita poſteris de hac hiſtoria, veluti publicè concionaretur, ita nullum conſilium contra Deum eſt. Quartò, deſcribitur hypocriſis Phariſæorum, qui ſimulant etiam ſibi magnam eſſe curam de pauperibus, & peregrinis, qui videlicet peregrini, cauſa religionis, ac templi venturi eſſent poſteà Hieroſolymam, ſicut & Iudas nuper dicebat: Ad quid perditio hæc? potuit hoc vendi trecentis denarijs, ac dari pauperibus. Bonum quidem opus eſt, habere pauperum curam, quando vera et non ſimulata eſt, Sed addit illic Iohannes: Hoc dixit, non quòd illi pauperes eſſent curæ, ſed quia fur erat, & marſupium habebat &c. ſic & hi Pontifices hypocriſeos, & ſimulationis morbo laborant. Quintò ſuauis eſt allegorica figura. Cùm enim hac pecunia, quæ precium ſanguinis Chriſti eſt, emitur ager, in quo peregrini ſepeliantur, ſignificatur Chriſtianos quidem eſſe peregrinos, dum terra ex animo ſepoſita, cœlum inquirunt: & hos demortuos in Chriſti ſanguine ſepeliri, quia videlicet morituri fide Chriſtum appre-

hendum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

hendunt, & in eius redemptione ſuauiter acquieſcunt.

Tunc impletum eſt, quod dictum eſt per Ieremiam Prophetam dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium æſtimati, quem æſtimatum emerunt à filijs Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi Dominus.

PRophetia hæc non reperitur in libro Prophetæ Ieremiæ, qui nunc extat, ſed legitur apud Prophetam Zachariam capite 11. verbis nonnihil immutatis, at eandem ſententiam reddentibus hoc modo: Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: proijce eam ad figulum, ornamentum precij, quo æſtimatus ſum ab illis, & accepi triginta argenteos, & proieci eos in domum Dei ad figulum. Certè ad hæc verba reſpexiſſe videtur Euangeliſta Matthæus. D. Hieronymus ait Ieremiam apocryphum à quodam Iudæo factionis Nazarenæ ſibi exhibitum, in quo hæc ad verbum, vt hîc ab Euangeliſta citantur,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

tantur, poſita fuerint. Sed ego citius iјs aſſenſerim, qui putant librariorum iniuria nomen Ieremiæ, loco Zachariæ ſubſtitutum eſſe. Quanquam ideo non magnoperè contendendum ducimus, dum certè manifeſtum relinquitur, Deum hæc, ſi non alibi, ſaltem in Zacharia prædixiſſe, factaq; eadem per diuerſam diſpenſationem ad fidem noſtram confirmandam in Chriſto Ieſu Domino & Redemptore noſtro: Cui cum Patre, & Spiritu ſancto ſit laus, gloria & gratiarum actio nunc & in omnem æternitatem, Amen.

PAS-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI PARS

ſeu Concio quarta, de ijs, quæ in prætorio circa Chriſtum, ante condemnationem acta ſunt.

IVdæi antem non introierunt in prætorium, ne contaminarentur, ſed vt ederent Paſcha.

DIximus prius, Chriſtum non ſolùm à Iudæis, verum à gentibus quoq; damnandum fuiſſe, eius rei rationem fuiſſe hanc exiſtimo, quòd tàm pro gentium, quàm Iudæorum peccato expiando Chriſtus eſſet moriturus. Quorum enim peccata mortis ei cauſam præbuerunt, ij rectè omnes eum crucifigentes introducuntur. Vt igitur hi Sacerdotes cum alijs Principibus referunt totum populum Iudaicum, ſic nos gentiles omnes in Pilato Chriſtum crucifixiſſe arguimur. Nec enim ante Spiritus regenerationem vnus alio in rebus diuinis vel tantillo ſapientior, mundior, iuſtior, aut melior, cenſeri debet, cùm omnes ibi talpa cæciores, & auerſi planè ſimus à Deo. Serio igitur

pœnitentiam agamus, magnoq́; de tranſgreſſionibus noſtris (pro quibus Chriſtus paſſus eſt) dolore, non tamen ſine fide, Chriſto, ac Deo reconciliari quæramus: imò ne dubitemus, quin ſic agentes Deo per Chriſtum ſimus reconciliati.

Porrò Iudæi non ingredientes domum Pilati gentilis, ne contaminentur, ſed vt velut immaculatis, edere Paſcha ſub veſperam liceat, ſeruare quidem videntur extrinſecus mandatum Dei circa Agni Paſchalis eſum, ſed hypocriſim ſuam produnt, dum non ea diligentia curant interna, qua externa. Nam hominem innocentem, & quem facile ſcire potuerunt à Deo miſſum eſſe, contra mandata Dei trucidare nihil reuerentur: & interim de externa contagione illa nihil aut parũ animũ inficiente tantùm ſollicitì ſunt. Hoc profectò id eſt, quod grauiſſimè Dominus ijs obijcit Matth. 23: Væ vobis Scribæ et Phariſæi hypocritæ, quia decimatis menthã, anethum et ciminũ, & reliquiſtis grauiora legis, iudiciũ, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere, Duces cæci, colantes culicem, camelum autem deglutientes, Væ vobis, quia mundatis exteriora poculi, & paropſidis, at interiora plena ſunt vobis rapina, & intemperantia. Phariſæe cæce purga primùm quod intus eſt, vt ſic & exteriora mundentur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Item: Similes eſtis ſepulchris dealbatis &c. Tales omnino deſcribuntur hîc proceres Iudæorum, dum locum quidem, vt iudicant, impietatis fugiunt, at ipſam impietatem ambabus, quod aiunt, manibus amplectuntur.

Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: quam accuſationem adfertis aduerſus hominem hunc?

Pilatus hic prudentis & moderati Principis exemplum gerit. Quanquam enim populus importunè contemnere eum videtur, dum, ſi domum eius ingreſſus eſſet, ſe polluendum inde iudicat, ſine tumultu tamen id conſuetudini, & religioni gentis concedit, & ſe moribus eorum, quibus præeſt, accommodat, quod ſapientis eſt. Deinde non ſtatim ad gratiam & petitionem Pontificum Chriſtum damnat, ſed cauſam prius inquirit, vt ſi iuſta fuerit, condemnet eum, ſin minus, abſoluat. Id ſiquidem propriè pertinet ad officium Iudicis, punire ſontes, & liberare innocentes, ſed multò ſunt importuniores moroſophi Pontifices, & Scribæ: ſicut patet è ſequentibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Reſponderunt, & dixerunt ei: ſi non eſſet hic nocens, haudquaquam tibi tradidiſſemus eum.

Ex his verbis notamus maximam Pontificum de ſua ſapientia, pietate, & integritate perſuaſionem: de qua nec Pilatum dubitaturum vllo modo ſperabant. Ergo confidenter aiunt: nos eum examinauimus, nos damnauimus, & certò conſtituimus, quod noſtrum (qui tantæ ſumus integritatis, & ſanctitatis) iudicium tibi ſatisfacturum ſit. Verùm Pilatus non ſic eorum iudicio vult acquieſcere, prudenter adhuc & legitimè progrediens.

Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & ſecundum Legem veſtram iudicate eum. Dixerunt ergo Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam, vt ſermo Chriſti impleretur, quem dixit, ſignificans, qua morte eſſet moriturus.

Pilatus audita Iudæorum arrogantia, nonnihil offenditur, & mon t, vt ſi ipſi ſciunt eum eſſe morte dignum, nec declarare cauſas volunt, poti-

potius ipſi iuxta Legem ſuam eum condemnent, ac morti tradant. Quidam hoc inſultantis eſſe dicunt, et exprobrantis, Iudæis allatam omnem Iuriſdictionem in cauſis capitalibus, quod & ſequente Iudæorum reſponſo confirmari putant, cùm inquiunt hi: Nobis non licet interficere quenquam, Sed ſic prorſus explicare nequeunt quid velit illa ratio, quam ſubijcit Euangeliſta Iohannes in hanc ſententiam, quòd hoc Iudæorum reſponſum eò tenderet, vt ſermo Chriſti impleretur, quem dixit, ni fallor Iohan. 12. ſignificans, qua morte eſſet moriturus. Nam Iohan. 12. ſic locutus eſt Chriſtus: Et ego ſi exaltatus fuero à terra, omnes traham ad me ipſum. Et ſubiunxit ibidem Euangeliſta: Hoc autem dixit, ſignificans, qua morte eſſet moriturus. Quare ſi hæc Pontificum verba: nobis non licet interficere quenquam, accipienda ſunt, vt volunt, de quouis mortis genere, certe, meo iudicio, male infertur, ijs mortem crucis peculiariter eſſe ſignificatam. Sed non male hoc infertur, nam Euangeliſta non ſcribit ἀνακόλουθα: Videtur itaque Iudæis aliqua iuriſdictio relicta in cauſis quoque capitalibus, licet non illa ſumma de quopiam in crucem tollendo, ſed fortè lapidatio, cuius in Lege ſubinde

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

fit mentio, qua & S. Stephanum & quoſdam alios peremerunt. Si tamen aliter quis, dum dextrè, ſubnexam hanc rationem explicuerit, nihil equidem contendero. Cùm autem in crucem tolli potius, quàm alio ſupplicij genere mori voluerit Chriſtus, in initio ante cœnam quædam adſcripſimus, quæ ibi repetantur.

Cœperunt autem illum grauiter accuſare ſummi Sacerdotes, & ſeniores de multis, dicentes: Hunc deprehendimus euertentem gentem, & vetantem tributa dari Cæſari, dicentem ſe Chriſtum Regem eſſe.

COacti nunc Pontifices, quoniam Pilatus, indicta cauſa Chriſtum interficere noluit, aliqua crimina aduerſus eum, quem prius iuſtè ſe condemnaſſe ſignificauerant, proferunt, ſed partim ea manifeſtè falſa, partim calumnijs deprauata. Falſiſsimum enim erat, quòd Chriſtus vel gentem aliquam ſubuerterat, qui viam ſalutis omnibus annunciauerat, vel Cæſari tributum dari prohibuerat, dum apertè pronunciauerat, Cæſari danda eſſe, quæ ſunt Cæſaris, ac Deo, quæ ſunt Dei. Hæc tamen hypocritæ vaniſsimi,

mi, ne ſine cauſa Chriſtum damnaſſe videantur, contra conſcientiã illi impingunt. Calumnioſum verò illud, quod accuſant eum de affectato Regno. Cùm enim Chriſtus confeſſus eſſet, ſe Meßiam eſſe, qui ſpiritualiter Eccleſiam regeret, & à peccato liberatam eam ad Patrem ſuum perduceret, ipſi calumnioſè hæc ad ciuile regimen detorquent, quanquam non ignorabant, eum, cùm inquireretur à turbis, vt Rex politicus conſtitueretur, ſubterfugiſſe, ſicut ſcribitur Iohan. 6. Sed quid non calumnia cum audacia mentiendi effinxerit? Notandum etiam, quod hîc non accuſent eum de violato Sabbatho, de vſu templi, vel ceremonia aliqua Moſis abrogata, nec quòd filium Dei ſe vocaſſet, qualia coram populo contra eum exaggerabant, quia de his Pilatum parum ſciebant eſſe ſollicitum, ſed veluti ſeditioſum eum Pilato ſiſtunt. Nam aduerſus huiuſmodi vigilantißimus eſſe ſolet ciuilis magiſtratus. Tanta eſt aduerſariorum Chriſti, & Eccleſiæ, verſutia.

Introiuit ergo iterum Pilatus in prætorium, & vocans Ieſum, interrogauit eum, dicens: Tu es ille Rex Iudæorum?

PRiora duo crimina vel non adeò magni faciebat Pilatus, vel falſa prorſus eſſe ſciebat, ſed de tertio, quòd ſe Regem appellaſſet, magis fuit ſollicitus, fortè quia ſæpius audiuerat inter Iudæos rumorem ſpargi de Meſſia Rege, illo inſigni venturo, quare & præpoſito articulo, rogat: Es tu ille Rex (ὁ βασιλεύς) Iudæorum?

Reſpondit Ieſus, ſtans ante eum: A temetipſo hoc tu dicis, an alij tibi dixerunt de me?

INterrogatus à præſide Dominus, an ille Rex Iudæorum, id eſt, an Meſſias in Prophetis & Lege promiſſus eſſet, quum negare veritatem nollet, neque cum fructu coram profano Ethnico confiteri poſſet, primùm quæſtiunculam præmiſit: an ipſe tale quid in ſe conſideraret, vel an tantùm aliorum dictis moueretur?

Reſpondit Pilatus: Num ego Iudæus ſum? Gens tua & Pontifices tradiderunt te mihi, quid feciſti?

NOnnihil hîc irritatus videtur Iudex, quòd non cathegoricè Dominus reſponderet, an Rex, & Meſſias ille eſſet, necne. Reſpondit

igitur in hanc ſententiam: Quo modo ego ſcire poſſem quis qualiſue tu ſis, & an Meßias aliquis ſit venturus, nec ne: ſed tua gens Iudaica, quæ venturum illum anxie expectat: & Pontifices, qui maximã Propheticæ ſcripturæ cognitionem habent, recipere te pro Meßia illo nolunt, ſed vt ſeductorem te mihi condemnandum tradiderunt: nec, opinor, ſine aliqua non contemnenda cauſa, tu quæ ea ſit, ipſe potius exponito.

Reſpondit Ieſus: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Si de hoc mundo eſſet Regnum meum, miniſtri mei vtiq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non eſt hinc.

LIberat metu præſidem, ne prouinciam ſuã ab ipſo turbandam, & Cæſaris regnũ inuadendum timeat, aſſerens, in hoc mundo ſe nullum affectare Regnum, quod et ſignis euidentibus probat: Quia nullũ conſcripſit exercitũ, nullam turbam armauit, nihil vnquam per vim fecit, quin potius vltrò poſtulans ad regnum aufugit. Hæc non ſunt ſigna regnum aliquod mundanum affectantis.

ctantis. Regem tamen interim apertè ſe fatetur, vtpote regni cœleſtis. Diſcimus ergo hîc, maximum eſſe diſcrimen inter politicum & ſpirituale Chriſti regnum, quod in medio politiarũ, nihil regno mundano ſimile habens, nec in eis quicquam immutans, florere poteſt. Chriſtus enim omnia præter peccatum patienter fert, vt non tantùm duriſsimam ſeruitutem, ſed & ſummam ignominiam, et mortem atrociſsimam. Errant itaq; qui politias diuinitus ordinatas damnant, & euertere quærunt, vt Chriſti conſtituant, exemplo Monaſterienſium Anabaptiſtarum. Nam Chriſti regnum nõ eſt externũ, ſed internum, & cor ſolum concernens. Quare mundani Principes animo ſitis hîc tranquillo, nec Regem Chriſtum aduentantẽ pertimeſcite, ſicut eleganter Eccleſia canit: Herodes hoſtis impie Chriſtum venire quid times? non auferet mortalia, qui regna dat cœleſtia. Poſtquam igitur audiuimus, Chriſtum eſſe Regem, & non eſſe mundanum Regem, audiamus iam è ſequentibus, qualis ergo ſit Rex.

Dixit itaque ei Pilatus: Ergõ Rex es tu?

Quia ſcilicet Regnum quoddam, tametſi non de hoc mundo, tibi vindicas?

Reſpon-

Reſpondit Ieſus: Tu dicis: Ego ſum Rex. Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in hunc mundum, vt teſtimonium feram veritati. Omnis, qui eſt ex veritate, audit vocem meam.

Confitetur & non negat, ſe eum eſſe, qui eſt, nempe Meßiam, & Regem omnium eorum, qui veritatem ſectantur, hoc eſt, Eccleſiæ. Sed, quæ ad officium huius noſtri clementißimi Regis faciunt, diſtinctius & ordine nobis explicanda ſunt. Primùm, cùm dicit: Ego in hoc natus ſum, fatetur ſe verum, & naturalem hominem eſſe. Deinde, cùm addit: Et ad hoc veni in hunc mundum, inſinuat etiam ſe verum, & æternum eſſe Deum, qui alibi fuerit, priuſquam in hoc mundo comparuit. Tertiò, ſuum officium, cur natus ſit, & in hunc mundum è cœlo venerit, exprimit, vt videlicet veritati teſtimonium ferret, id eſt, vt eſſet teſtis veritatis tum doctrina, tum vita. Veritatem enim intelligit, veram lucem, verum cultum Dei, veram ſapientiam, iuſticiam, pacem & vitam. Hanc veritatem non tantùm verbis inter homines patefecit, ſed et vitæ exemplis plurimum illuſtrauit, men-

dacium arguens eſſe, quicquid ipſi diſsimile eſt, & quicquid ex noua Spiritus ipſius regeneratione non proceſsit. Vt igitur omnis vetus homo mendax eſt, id eſt, errans à recta via, Deiq́ infallibili mente, veraq́ indole, ſic verax is demum cenſendus eſt, qui ſe mendacem, & vicioſum agnoſcit, quiq́ veritatem, & veram æterni Patris indolem à Chriſto reuelatam amat, deſiderat, inquirit, et fide, votisq́ & ſuſpirijs allicit, ac pertrahit in animum ſuum, tales, quicunq́ reperiuntur, ex veritate ſunt, & hi Chriſti vocem audiunt: Hoc eſt, ſunt Chriſto fideles, obedientesq́ ſubditi, & ſpirituale eius verbum Spiritu fideq́ percipiunt, atq́ horum is Rex Dominus & ſeruator eſt. Nec hi ſeditioſi contra Mundi magiſtratum deprehendentur, ſed obſequentiſſimi: non tantùm propter iram, & metum pœnæ, ſicut profani, ſed etiam propter conſcientiam. vt Paulus præcipit Rom. 13.

Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?

Extenuantis eſſe videtur, ac ſi diceret: Veritas odium parit, ſi mordicus eam tueri voles, non abundabis amicis, nec meo iudicio, ſapienter facis, quòd ob rem tàm leuiculam te in hæc pericula conijcias, iudicans eſſe tantùm ocioſo-

rum Philoſophorum ſtudium, inquirere, quid verum, ac falſum ſit, ſed propter quod nemo libenter periclitari vellet, quare & priuſquam Chriſti reſponſum audiat, aliò ſe confert. Sic mundus de magnis & arduis rebus multum ſæpè ſcrupuloſeq; inquiritat, ſed vitæ huius curis impeditus nunquam seriò ſolutionem earum perdiſcere ſuſtinet.

Et cùm hoc dixiſſet, iterum prodijt ad Iudæos, & dicit eis, ego nihil inuenio noxæ in hoc homine.

CHriſti de re grauiſſima, & maximè ad ſalutem neceſſaria reſponſum, Pilatus, vt profanus & ethnicus, parui quidem ducit, dum eo non expectato foras egreditur ad negotium, quod præ manibus habet abſoluendum: ſed tamen cauſam hanc iudicialem, vt ciuiliter honeſtus magiſtratus adhuc rectè proſequitur. Poſtquam enim intellexit, quòd nullum in hoc mundo regnum affectaret Chriſtus, ingenuè ſtatim fatetur, hominem ſibi innocentem, nec obnoxium ijs, quibus eum grauabant, criminibus, videri. Tunc denuo Principes & ſeniores crimina criminibus aduerſus eum cumulabant, vt patet è ſequentibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Et cùm accuſaretur à Principibus Sacerdotum, & ſenioribus, nihil reſpondit. Pilatus autem rurſum interrogauit illum dicens: Non reſpondes quicquam? Ecce, quàm multa dicunt aduerſum te teſtimonia, non audis? Et non reſpondit ei ad vllum verbum, ita vt miraretur præſes vehementer.

IVdæi quidem accuſant, & falſis, fucatisq́; criminibus onerant Chriſtum, ſed ipſe, velut mutus, omnia illa ſilentio deuorat. Nam etiamſi ipſe ea non commiſit, homines ipſius aliquando membra futuri, fortè commiſerunt, vel certè committent. Quare cùm ipſe peccata noſtra ferat, etiam pœnam eorum pati cogitur. Et qui mortem pro nobis ignominioſam, & atrocem præter meritum ſuum ſubire conſtituit, quur non & crimina, quæ non in ipſum, ſed in aliquos ex nobis (nam conuertuntur et huiuſmodi multi) competunt, æquanimiter deuorarit? Nec aliter ſonant Scripturæ quas impleri neceſſe fuit. Nam Pſalmo 38. in hunc modum legitur: Et ego tanquam ſurdus, non audiebam, & ſicut

mutus non aperit os ſuum. Et fui ſicut vir, qui non audit, & in cuius ore non ſunt redargutiones, quoniam ad te Domine, tu reſpondebis Domine Deus meus. Item, Eſa. 53. Oblatus eſt, & ipſe afflictus, & non aperuit os ſuum, tanquam ouis ad occiſionem ducetur, tanquam ouis, inquam, coram tondentibus ſe obmuteſcens, nec aperiens os ſuum. Quum autem Chriſtus hoc modo præceſſit, qui (S. Petro teſte) paſſus eſt, vt nos inſiſtamus veſtigijs eius, eò res venire tandem debet, vt hæc manſuetudo, & humilitas cordis in nobis quoq; reperiatur, vt videlicet nec falſam contumeliam abſtergere, nec facilem à nobis iniuriā amoliri laboremus: nimirum conſiderantes quòd multa maiora peccatis noſtris debeantur mala, quodq; vnicè neceſſarium ſit, vt carni, totiq; veteri homini cum Chriſto & in Chriſti Spiritu moriamur. Quemadmodum neque Chriſtus rhetoricam pro ſe declamationem recitauit, nec ad vim confugit, nec ſupplex Iudici factus eſt, vt mortem imminentem euaderet, quia ſic, & non aliter in gloriam ſuam intrare potuit.

Quanquam enim in gloria, & maieſtate Dei, tanquam verus & ipſe Deus ab æterno fuit, & à ſinu ſui Patris nunquam receſſit, humiliando tamen ſeipſum nobis aſſimulauit, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

conformem exhibuit, vt non niſi nobiſcum gloriam illam ad tempus depoſitam recuperaret, veluti, qui amicum è carcere extrahet, ipſe carcerem accedere cogitur, & facta via, ſecum captiuum abducere, vt, qua ipſe præcedit, ille ſequatur, ni deerrans à via ſalutis perire malit. Ita Chriſtus alienum in ſe peccatum aſſumens, exemplo ſuo docuit, quomodo nos à peccato proprio liberari, & ad iuſticiam, vitamq́ æternam peruenire poſsimus, nimirum, ſi cum Chriſto Domino noſtro ad omnia aduerſa maximè ſpiritualiter vltro nos obtulerimus, & mortificationem noſtri nullis medijs declinauerimus. Neq; enim aliter neceſſarium eſt, vt nos cum Chriſto carni moriamur, ſi glorificari cum ipſo volumus, quàm fuit, vt Chriſtus pro nobis in cruce moreretur. Quanquam itaq; ſæuiunt contra nos hypocritæ, derident ſapientes, mirantur imbecilli, nos animo quieto ſine vlla contentione calicem ſalutis, licet amariorē ebibendum libenter accipiamus.

At illi inualeſcebant, dicentes: Commouit populum per vniuerſam Iudæam exorſus à Galilæa vſque ad hunc locum. Pilatus autem, audita mentione Galilææ, interrogauit, num

homo Galilæus eſſet, & vt cognouit, quòd ad Herodis ditionem pertineret, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat per id tempus.

Pontifices viſa Chriſti manſuetudine, quòd nihil reſpondeat, iam tantò liberius, & improbius eum accuſant. Inter alia autem & hoc effutiunt, quod hîc deſcribitur, in quo id primùm notatu dignum eſt, quòd prædicationem Euangelij vocant commotionem populi, quia audita noua doctrina, populus ferè commoueri ſolet, ſed, cùm doctrina ea vera eſt, & modeſtè proponitur, non ipſa tumultuum cauſa eſt, verùm pertinax malicia prophanorum, qui mallent fucos, errores & mendacia ſua non detegi. Quare hi turbatores præcones Euangelij, ſed falsò vocant: Sicut Achab Rex Iſraël Eliæ dixit: Tu es ille, qui conturbat Iſraêl, cui reſpondit Elias: non ego turbaui Iſraël, ſed tu & domus patris tui &c. Deinde ſignum eſt magnæ cæcitatis, & quidem valdè deplorandum, quòd vt hi Pontifices, ita ſemper homines mundani non alia magis de cauſa, quàm per prædicationem doctrinæ cœleſtis irritentur, quam vnam ſumma cum lætitia deceret nos amplecti, tanquam vtiliſsimum theſaurum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Cùm autem in hac accuſatione Galilææ mentionem fieri (quòd videlicet ibi ſuam doctrinam Chriſtus exorſus eſſet) audiuit Pilatus, occaſionem ſibi putauit oblatam, qua liberari poſſet à Chriſto. Nam ipſe nec dimittere facile eum præ Iudæorum importunitate poterat, nec damnare, quem innocentem videbat, propter inuidiam aduerſariorum, volebat. Remiſit igitur eum, tanquam hominem Galilæum ad Herodem Galilææ Tetrarcham, præſertim cum illo tempore propter feſtum is Hieroſolymis eſſet. Et hoc inuento conſilio, Pilatus quidem lætabatur, ſe liberatum exiſtimans: at Chriſtus Dominus vinctus per platæas Ieruſalem non ſine conuicijs, impulſibus, & plagis impiorum ad nouum ignominiæ theatrum producitur.

Herodes autem, viſo Ieſu, gauiſus eſt valde, tenebatur enim, longo iam tempore, cupiditate videndi illum, eò, quòd audiret multa de eo, & ſperabat ſe ſignum aliquod ab eo viſurum fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus, at ipſe nihil ei reſpondebat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ORdine tres Herodes oriundi ex Edom (quia iam ſceptrum ablatū erat à Iuda) Iudææ præfuerunt. Primus Rex Aſcalonita ſeu magnus cognomine, qui pueros Bethlemiticos occidit. Secundus Herodes Antipas Tetrarcha, qui Iohannem Baptiſtam decollauit, & hic Chriſto illudit. Tertius poſt hunc ſecutus eſt Herodes Agrippa, Rex quoq;, cuius mentio fit Acto. 12. quòd Iacobum fratrem Iohannis gladio peremerit, & Petrum incarcerauerit, maleq; tandem perierit. Horum itaq; medius Herodes Antipas, quia multa de Chriſto ſpargi miracula audierat, quòd mortuos excitaret &c. quòdq; ille idē eſſe diceretur, cuius cauſa Pater eius Herodes primus infantes occiderat, diu videre Chriſtū exoptauit, nō vt aliquid ab eo diſceret, ſed vt curioſitatem ſuā expleret viſo aliquo miraculo, quòd is in ipſius gratiam ederet, quare cùm nunc hac occaſione Dominus ad ipſum peruenit, multa huiuſmodi ex ipſo quærit, & forte petit etiam, vt aliquod ipſi prodigium oſtendat. Sed Chriſtus non miracula facit in eum finem, vt Principibus vel quibuſuis hominibus placeat, ſed in gloriam Dei tantum, & ad ſalutem indigentium hominum: adeoq; nihil hîc ei reſpondet, nedum inanē eius curioſitatem exaturat. Sic omnes qui Chriſtum, eiuſq; ver-

bum ſalutiferum non ſalutis deſiderio, ſed ad carnalem oblectationem audiunt, legunt, & inquirunt, nihil ſolidum ex ore percipiunt, vnde tandem etiam contemnet vnà cum Herode.



Stabant autem Principes Sacerdotum, & Scribæ acriter accuſantes eum, ſed ſpreuit illum Herodes cum exercitibus ſuis, cumq́ illuſiſſet, indutum veſte ſplendida remiſit ad

Pila-

Pilatum. Et facti ſunt amici inter ſe Pilatus & Herodes in eodem die, nam antea ſimultates inter eos interceſſerant.

PRincipes Sacerdotum, & Scribæ inſtanter Chriſtum accuſant, vt ad ignominioſam crucis mortem eum adigant. At Herodes, qui Chriſtum, ſi ipſius hiſtrio faſcinator, vel morio fieri ſuſtinuiſſet, forſan etiam honoraturus erat, iam quia videt eum rudiorem quàm vt quicquam in gratiam Principum facere ſciat, ſtultum iudicat ac deridet eum, veſteq́ ſplendida tanquam fatuum, ludicrũ, & perſonatum Regem induit, et ſic Pilato remiſit, qui hoc Herodis luſu tantopere delectatus eſt, vt hinc eius amicitiam prius labefactatã (quam veriſimile eſt ab Herode propter hunc miſſi captiui Chriſti honorẽ ei oblatã eſſe) libenter acceperit, et in poſterũ ſibi colendã conſtituerit: Sicut Lucas teſtatur, quòd hoc facto Pilatus & Herodes inimicitia, quæ prius aliquandiu fuerat inter eos, depoſita, redierint in gratiã, et amici facti ſint, vel arcana Chriſti virtute, qui Rex eſt pacificus, & nequaquã diſſidia ſerit: quod ei à mundo obijcitur, ſed cõcordiam potius, & veram, ſalutaremq́ pacem confirmat: vel quia alijs quoq; temporibus in Eccleſia ſæpè

inito fœdere iunguntur Principes ij, qui maximè inter ſeſe diſsident, vt vnanimiter Euangelium & veritatem cũctis inuiſam opprimant, quemadmodum tempore Ioſue plurimi Reges conſociati leguntur ad reſiſtendum Iſraëlitis. Vt igitur illuſus eſt quidẽ Dominus, at nõ condemnatus ab Herode, ſic videtur hæc hiſtoria præfigurata in Dauide coram Abimelech ſeu Achas rege Philiſtinorũ inſaniã ſimulante 1. Sam. 21.

Pilatus autem conuocatis Principibus Sacerdotum, & Magiſtratibus & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi qui auerterit populum: Et ecce ego coram vobis interrogans, nullum inuenio crimen in homine iſto ex his, de quibus accuſatis eum. Sed ne Herodes quidem. Nam remiſi vos ad illum, & ecce, nihil dignum morte actum eſt ei. Caſtigatum itaq; eum dimittam.

Pilatus iam Chriſtum dimittere vult, & apertè teſtatur coram omnibus Iudæis, ſe nullum

nullum in eo crimen deprehendiſſe, ſicut nec Herodem, eſtq́ hoc ſecundum eius de innocentia Domini teſtimonium: Vnde rectè dicit, quòd eum dimittere velit, ſed male addit, prius caſtigandum. Cur enim caſtigabitur de nullo crimine conuictus, adeoq́ nihil malè commeritus? at nonnihil in gratiam Iudæorum tantopere contra Ieſum frementium ei faciendum putauit, quia videlicet alienus à priuilegio ciuium Romanorum, & maximè, quia pauper, humilis, & mitis fuit, nec minas, & vindictam ſpirauit. Tales impunè flagellari poſſe ferè mundus Tyrannicus iudicat: Verùm qui paruam non refugit iniuriam, nec maiorem tandem euitabit. Notandum quòd Chriſtus de vno Iudice ad alterum duci debuerit, vt omnes de eius innocentia teſtimonium ferrent, vtq́ ita plenè conſtaret nobis, illum non ob ſuum, quo caruit, ſed ob noſtrum peccatum paſſum eſſe iuſtum pro iniuſtis, vt Petrus loquitur, eſſeq́ eum agnum Dei, qui mundi peccatum in ſe tranſtulerit Ioh. 1.

In feſto autem neceſſe habebat, & conſueuerat præſes turbæ dimittere vnũ vinctum, quemcunq́ poſtulaſſent. Habebat autem tunc vinctum

inſignem, videlicet, latronem, qui dicebatur Barrhabas, qui cum ſeditionis authoribus coniectus fuerat in carcerem, qui per ſeditionem quandam in ciuitate factam homicidium patrauerant. Et cùm acclamaſſet turba, cœpit flagitare, vt faceret, quemadmodum ſemper fecerat ipſis. Itaq; congregatis illis reſpondit Pilatus: Conſuetudo eſt vobis, vt vnũ dimittã vobis in Paſcha. Vtrum ergò vultis dimittã vobis, Barrhabam, an Ieſum illum Regẽ Iudæorũ, qui dicitur Chriſtus. Sciebat enim, quòd per inuidiam tradidiſſent illum ſummi Sacerdotes.

PRiuſquam Chriſtum in gratiam Iudæorum ob nullam ſuam culpam, quod durum erat, flagellaret Pilatus, commodè recordatus eſt, illo Paſchatis tempore ſolere vinctum vnum, quem cuperent, liberum dimitti, forſan in memoriam ipſorum de ſeruitute Ægyptiaca liberationis. Huc itaq; confugit, & hoc plebi proponit: quæ cùm vſitatam conſuetudinẽ, conceſſumq; ſibi priuilegi-

uilegium ſeruari peteret, optionem ſeu electionē Pilatus eis de duobus reis, Chriſto nimirum, & Barrhaba concedit, ſperans Chriſtum potius eligendum, quòd valdè Barrhabas eſſet facinoroſus & inuiſus populo: Quare & illum potius, quàm aliũ quemuis è facinoroſis Chriſto oppoſuit. Diſcimus autem ex hoc textu, primùm, homines eſſe pronos ad ſuperſtitioſas obſeruationes, humanaſq; traditiones extra verbum Dei, quæ præterquam quòd verum, & in verbo Dei fundatum cultum obſcurant, & à verbo conſcientias auocant, etiam ciuiliter ferè noxiæ eſſe ſolent, et plærunq; in cladē piorũ cedunt. Vt enim hæc facinoroſi alicuius dimiſſio nuſquã in ſacra Scriptura circa Paſchatis obſeruationē præcipitur, adeoq; ſuperſtitioſa eſt: ita & ciuiliter inutile fuit liberari facinoroſos, homicidas, latrones, & ſeditionum authores, & nunc vergit in ignominiã Chriſti, qui huic peſſimo latroni comparatus poſtponitur: nec aliter omnes humanæ traditiones ferè tandem occaſio fiunt, vt Eccleſia duriorem, quàm vllus latro, perſecutionem etiam ab alijs, qui ſibi titulum vendicant Eccleſiæ, ferat. Deinde conſiderandum, quo ſe Chriſtus noſtra cauſa deiecerit, vt videlicet cum iniquis deputatus, imò & multo peior facinoroſo quouis habitus ſit. Quin et operæprecium eſt, vt videamus

latius,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

latius, qualis inter Chriſtum, et Barrhabã fuerit comparatio. Nam ut Barrhabas erat latro, multosq́; homines vulnerauerat, vel etiam occiderat, ita Chriſtus mortuos ad vitam reuocauerat, & omnes languentes reſtituerat ſanitati. Barrhabas præterea ſeditioſus erat: At Chriſtus author pacis et concordiæ. Barrhabas gladio, & vi graſſabatur, cùm Dominus tantùm eſſet Euangelij prædicator: Et tamen huic illum inuidia Pontifices excæcati præponunt. Denique nec Pilatus, qui Chriſtum damnaturus eſt, excuſari poteſt, cùm per inuidiam Chriſtum à ſummis Sacerdotibus traditum non ignoraret, & tamen eò ſe pertrahi pateretur. Sed nos ad reliqua pergamus.

Sedente autem illo pro tribunali, miſit ad eum vxor eius dicens: nihil tibi cum iuſto illo, multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis propter eum.

INterim dum Pilatus pro tribunali ſedens reſponſum expectat à populo, vtrum ex duobus, Chriſtúmne an Barrhabam liberum poſcere vellet, en et vxor eius nocturnis turbata terroribus per inſomnia monet virum, ne grauius quicquã contra Chriſtum ſtatuat, iuſtum illum pronuncians. De inſomnijs id ſentire licet, quòd plærunque

que

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

que quidem, non tamen ſemper vana ſint. Nam Nume. 12. inter ſpecies Prophetiarum ponitur & inſomnium, quod etiam Homerus ethnicus Poëta ſciuit inquiens: καὶ γάρ τ᾽ ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. Etiam inſomnium diuinum eſt. Hinc Ioſeph dono ſomnia interpretandi clarus fuit. Hinc de nouiſsimo quoq; tempore vaticinatur Ioel: Senes veſtri ſomnia ſomniabunt: quibus tamen illic equidem quaſuis diuinas reuelationes deſcribi crediderim. ~~at contrà~~, quotidianis hominum non Propheticorum ſomnijs nihil eſſe vanius etiam vulgo notum eſt. ~~De hoc~~ autem huius mulierculæ ſomnio conſtat, quòd nequaquam inane fuerit, ſed à Deo ne an potius à Diabolo ſit inſpiratum, ambigitur, plæriq; malunt id à Diabolo fuiſſe ſubornatum, ne paſsio Chriſti, & per eam humani generis redemptio procederet, præſertim cùm ſub Regno Satanæ tota fuerit hæc perſona gentilis. Fieri tamen poteſt, quòd & Deus inſomnijs, quibus gentiles multum tribuebant, Pilatum præmonere voluerit, quo ipſe quoq; eſſet inexcuſabilis. Quanquam ea Pilatus, vt fœminæ phantaſias, parum curaſſe videtur, intentus huic ſpei, quòd Chriſtum populus Iudaicus præ Barrhaba, liberum ſibi dimitti poſtularet.

Princi-

Principes autem Sacerdotum, et ſeniores concitauerunt turbas, perſuadentes, vt ſibi potius dimitti peterent Barrhabam. Ieſum verò perderent. Reſpondens autem præſes ait illis: Vtrum vultis è duobus vobis dimittam? Et exclamauit ſimul vniuerſa turba dicens: Tolle hunc, & dimitte nobis Barrhabam.

TIment Principes, ne populus odio Barrabbæ ſæuiſsimi latronis, Chriſtum peteret, adeoq́ præueniunt eorum reſponſum, & omnibus, quæ excogitare queunt, argumentis perſuadere conantur eis, eſſe multò tolerabilius, vt Barrabbas, quàm vt Chriſtus in vita conſeruetur. Atq; hoc argumentum dubio procul, vt fieri ſolet, exaggerarunt, inſtituta collatione inter animam & corpus, vt quantò corpori præſtat anima, tantò Chriſtũ pernicioſiorẽ eſſe Barraba, cum ille hæretica doctrina cruentum, ac lethale vulnus animæ infligat, & æternum inferat exitiũ: hic Barrabbas tantùm corporibus perdendis, quæ tamen paulò pòſt neceſſario diſſoluenda ſunt, immineat. His enim & ſimilibus

calumnijs,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

calumnijs, deſæuire ſolent & noſtri Sacerdotum Principes in pios, ab ipſis diuerſa, non tamen falſa, pernicioſa, & impia ſed ſancta, vera & ſalutaria docentes. Mouentur itaq; rudiores, ne facile iudicijs eruditorum contra ſimplices, & pios Verbi miniſtros acquieſcant, quia ſuis vt plurimum tales obſequuntur affectibus. At nos contemptis mundi clamoribus, recta via Chriſtum nobis tàm vita, quàm doctrina prælucentem inſequamur. [redacted] autē Iudæorum à ſuis principibus peiorem ſententiam ſibi perſuaderi paſſus eſt. Quare cùm Pilatus, poſtquam aliquandiu conſultauerant, reſponſum petit, vniuerſa ſimul turba clamat, orans, vt Barrabbam ipſis præſes dimittat, præmittens tamen velut conditionem, vt Chriſtum tolleret, & crucifigeret. O impudentiam, homicidam petunt ſibi ex gratia donari, & principem, ducem et authorem vitæ (ſicut Petrus ait, Acto. 3.) qui tot mortuis vitam reſtituerat, imò, qui nos omnes propter peccatum æternæ mortis reos ad vitam æternam reducere cupit, occidi volunt. Hæc eſt mundi gratitudo, hoc iudicium, ſed nos cariſsimi ſimus cautiores, & ſequamur iudicium Spiritus, non principum huius mundi.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Iterum autem Pilatus locutus eſt ad eos, volens dimittere Ieſum, & ait: Quid igitur vultis, vt faciam Ieſu, quem dicitis Regem Iudæorum? At illi rurſus clamauerunt omnes: Crucifige, crucifige eum. Ille autem tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit? Nullum crimen capitale comperio in eo. Caſtigatum ergo dimittam illum. At illi magis clamabant dicentes: Crucifigatur. Et inſtabant vocibus magnis poſtulantes, vt crucifigeretur. Et inualeſcebant voces eorum, & ſummorum Sacerdotum.

PRæſes illa ſpe, quam conceperat de Ieſu per populi petitionē liberando fruſtratus, & tamen adhuc in animo habens omnino illum dimittere, quærit ex Iudæis, quid fieri cum eo vellent, qui cùm illud ſuum crucifige, inſanis clamoribus ingeminarent, Iudex antequam id ſit facturus, iuſtam & legitimam cauſam ſcire vult, & iam tertia vice ſuum de Domini innocentia profert teſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

teſtimonium, dicens: Quidnã mali fecit, ego enim nullum crimẽ, propter quod iuſtè crucifigi, imò vel quauis alia morte plecti poſsit, in eo deprehendo. Quod autem caſtigare vult, priuſquam dimittat, iniuſtum eſt, vt modò diximus, & ex Romana ſuperbia dependet. Romanis enim hominẽ, qui ciuis Romanus non eſſet, ob quamcunq; delicti ſuſpicionem flagellare liberum, & impune erat, ſed non item occidere: Quare Pilatus Iudex profanus libertatem, quam habere ſe putat iure ciuili contra Chriſtum in gratiam Pontificum (quos etiam non libenter offendebat) vſurpare conſtituit. Id enim volunt ea verba: Caſtigatum dimittã, nempe dimittendum quidem omnino iudico, quia cauſa mortis nulla contra eũ adfertur, verũ tamen id quod vnum ſaluis Romanis legibus poſſum, libenter in veſtram gratiam faciam. Itaq; non niſi flagellatum prius illum dimittam.

Pontificibus autem & ſcribis crudelibus, quanquam placuit Chriſtum prius flagellatum iri, tamẽ ſatisfacere nullo modo potuit, dum in vita maneret. Quamobrem inſtant vocibus magnis, vt cruci ſuffigatur, & ſic è medio tollatur. Idq; poſtulant maximè ſummi Sacerdotes paulatim vehementius, ac tandem etiam fortaſſe non citra bilem & commimationem. Hoc enim

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ſignificari videtur his verbis: Et inualeſcebant voces eorum. quare Pilatus maturat illam ſuam caſtigationẽ, ſi fortè ſic leniri poſſint. Diſcimus ex hac pericope, ferè peiores, minusq́ ſanabiles eſſe homines, qui de externa religione ſibi placent, quàm manifeſtè atheos. Mentes enim, quæ Chriſti gratiam ſibi oblatam, & oſtenſam à ſe repulerunt, magis deinceps obdurantur, & velut in reprobum ſenſum dantur, vt quæ contra Spiritum ſanctum deliquerint. Quemadmodũ et me alibi in his dixiſſe recordor: hinc eſt, quod ait Chriſtus ad Phariſæos: Meretrices et Publicani vos præcedent in Regno Dei. Et: Veni vocare non iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Item: Venient ab Oriente & Occidente, & accumbent cum Abrahã, Iſaac & Iacob in Regno Dei, filij verò Regni eijcientur foras. Videmus etiam, qualis iuſticia ſit, & conſtantia hominum ethnicorum, qui virtutem ciuiliter & Philoſophicè colunt, vmbra videlicet leuiter euaneſcens potius, quàm vera & ſolida virtus, vt apertè ſatis hîc in Pilato liquet, qui quoniam hinc aliquo modo damnare Chriſtũ incipiet, & maximè, quoniam & Iohannes hic 18. ſuum caput finit, & 19. inchoabit, etiam nos hic tractatus huius finẽ conſtituemus. Deus pater cum Filio, et Spiritu ſancto confirmet, et cõſeruet nos ad regnum ſuum æternum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI PARS SEV

Concio quinta, de iis, quæ circa ſententiam damnationis vſq; ad crucifixionem in Chriſto geſta ſunt.



TVnc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit. Milites autem præſi- CXI

P 2 dis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

dis abduxerunt eum intro in atrium, quod eſt prætorium, & conuocant ad eum totam cohortem, exutumq́; induunt purpura, ſine chlamide coccina, & plectentes coronam de ſpinis, imponunt capiti eius, dantq́ arundi-



nem in dexteram eius, & genu flexo ante eum illudentes ei cœperunt ſalutare dicentes: Aue Rex Iudæorum.

Et

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Et dabant ei alapas. Et cùm expuiſſent in eum, acceperunt arundinem, & percuſſerunt caput eius, & poſitis genibus adorabant illum.

HIc ſententia Iudicis contra Dominum inchoatur: Vnde, quæ nunc facta narrantur à Iohanne, quidam Euangeliſtæ deſcribunt ea condemnato demum inflicta: quia nunc ex parte condemnatus eſt. Quum enim à Pilato flagellatur, certè, quantumuis ab eo verbis adhuc innocens proclamatur, ipſa tamen re, dum punitur, veluti ſons, ac nocens introducitur. Nec mollis Domino fuit hæc flagellatio, quod & verba hæc: Apprehendit Pilatus, tacitè mihi quodãmodo innuunt. Videtur enim hinc omnem clementiam, & commiſerationem, ſi quam habuit prius erga Chriſtum, nunc planè exuiſſe, ſpretoq́; conſcientiæ reclamantis hortatu, & ceu ſtimulo quodam audacter hominem innocentem ſatellitibus flagellandum tradidiſſe. In quo dupliciter peccauit Pilatus, primùm, quòd innocentem flagellauit. Deinde, quòd flagellauit poſteà crucifigendum. Sed quanquam Pilatus id non cogitauit, Dei tamen conſilium fuit, vt ante crucifixionem flagellis bis laceraretur, quò ſic nos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

eius liuore ſanaremur. Nam vulnera Chriſti ſunt emplaſtra noſtra. Vide Eſa. cap. 53.

Magnitudinem autẽ, & acerbitatem huius flagellationis exaggerant Euangeliſtæ duabus circumſtantijs, quarũ prima eſt, quòd non vnus, aut alter, ſed tota cohors militum conuocatur ad eum flagellandum. Vndè certè videtur immaniter tractatus. Atq; hinc eſt, quòd exclamat Pſal. 22. Circumcinxerunt me canes multi. Altera circumſtantia eſt ſarcaſmus amarulentus, quo tanquã Rex adornatus malè palpatur. Multi hæc exaggerare ſolent, ſed, vt ita populo commiſerationem, ac lachrymas moueant, nos etiamſi fatemur duriſſimè Dominum in paſſione ſua tractatũ eſſe, idq; libenter modeſtè, iuxta verba textus, vt poſſumus, pro noſtra infantia declaramus, Non tamen hinc aut cõmiſerationem erga Chriſtum, quem iam olim glorificatũ credimus: aut lachrymas lectoris muliebres, & inutiles venamur. Sed inde ſignificamus peccati noſtri grauitatem, pro quo non aliter ſatisfieri potuit: & miſericordiæ ac dilectionis magnitudinẽ cùm in Deo, qui Filium ſuum vnigenitũ pro nobis ea pati voluit; tum & in ipſo Filio, qui patienter ac libenter correctionem hanc grauiſſimã ſuſtinuit, vt nos ita ſanati pacem inueniremus. Nam diſciplina pacis noſtræ ſuper eum fuit, vt loquitur Propheta, quò ſic verè contriti, et rurſus ere-

cti ue-

cti veram corã Deo pœnitentiã agamus. Tertiò, vt & noſmetipſos ad hanc afflictionis viam, ſi cum Chriſto glorificari quærimus, præparemus. Huc omnia, quæ ab Euangeliſtis in paſsionis deſcriptione dicuntur, ferè tantum ſpectant.

Intueamur itaq; Dominũ ad flagella pro nobis paratũ, corpusq; ſuũ dantem verberantibus, et non auertentem faciem ſuã à ſputo, & quauis ignominia, geſtantem ſpineã coronam, et arundineũ ſceptrum, tanquã iocularium regem, cum interim ſit Rex regum & Dominus dominantium. Verùm illã imaginem de Chriſto per luſum coronato clarius aliquanto perſpiciamus. Primùm, poſtquã exutũ ſatis immaniter flagellarunt, induunt eum rurſus purpura & chlamide coccina, tales enim veſtes competunt Regi. Deinde, capiti eius imponunt coronã, ſed ſpineam, qua ſcilicet pungatur magis, quàm honoretur. Tertiò dant in dextrã eius arundinem, quæ vice ſceptri ſit. Quartò, iam veluti ſubditi ſuũ Regem coronatum, & inauguratũ agnoſcentes adorant per luſum ei genu flexo, et Regem Iudæorũ ſalutant, ſed cum alapis, et ſputo. Quin & arundineo ſceptro caput eius feriunt, vt altius ei ſpinæ inſideant. Videte pij, quem ſequi debetis. Vide Ieruſalem tuum Regem, vide ſponſa maritũ, vt fulget in throno ſuo? vt mundo conuenit eius gloria?

non hæc ſemel acta poſtea nullũ retinent vſum, ſeu doctrinam: imò typi ſunt, ad quos omnes piorum actiones inſtituendæ ſunt. Atq; id nunc etiam breuiter indicandum eſt.

Etenim omnes quoq; pij, qui poſt Chriſtum venire ſtudent, Primùm exuti infidelitate, & propoſito peccandi flagellantur, id eſt, crucem ferre coguntur. Deinde paulatim alijs veſtibus, purpura videlicet, & cocco decorantur, quia ſub cruce labaſcit vetus homo, & nouus aſſumitur. Tertiò capiti piorum imponitur corona, dum videlicet eis diuina ſapientia reuelatur in Spiritu Chriſti. Quartò accipiunt in dextram ſceptrum, ſcilicet efficacem doctrinam, qua alios, non repugnantes Spiritui ſancto, poßint inſtituere, ducere, & regere, veluti ſceptro ferreo, ad vitam æternam. Sed quam hinc nanciſcuntur pij gloriam? certè magnam coram Deo, & coram omnibus qui rectè cum Deo iudicant. At qualem iudicio ſuperbi mundi? talem nimirum, qualis eſt hæc Domini noſtri Chriſti: quia ſunt ſancti, veluti portenta mundi, quos prophani conculcant, derident, conſpuunt, feriunt, ac trahunt pro arbitrio, atque ita veſtis illa purpurea, per quam noua vita, Chriſtiq; iuſticia delineatur, illuſionis principium eſt. Corona diuinæ ſapientiæ, ſpinarum inſtar, pungit eorum caput, dum

vniuerſæ carni contraria eſt. Quin & è ſceptro (quo ad alios efficaciter erudiendos in Spiritu ſancto mittuntur) ſpinea corona magis ijs caput affligit: quia proximi, quem docere, ac ad Spiritum Chriſti pertrahere ſtudent, infirmitatem, & maximam etiã ingratitudinem, & ſæpè contumaciam ferre coguntur. In ſumma diuinus hic ornatus in cauſa eſt, vt à mundo, propriaq́ ſua carne, & peccato moleſtiam, & ignominiam extremam in hac vita ſancti perferant.

Exiuit iterum Pilatus foras, & dixit eis: Ecce adduco eum vobis fo-



ras, vt cognoſcatis, quòd in eo nullam inuenio cauſam. Exiuit ergò Ieſus foras, geſtans ſpineam coronam, et purpureum pallium, & dicit eis: Ecce homo.

REdit ad populum Iudex, nihil aliud cogitans, quàm nunc ſaltem inuidiam & odium Iudæorum contra Chriſtum exaturatum eſſe, poſtquam tàm duriter, & inhumaniter eum tractari curauit, vt ſi vel ſceleſta vita mortem fuiſſet commeritus, iam videri poſſet miſericordia dignus, dicitq́;, ſe ideò foras miſeris modis laceratum eduxiſſe ſecum, vt ſcirent, quòd nullam in eo mortis cauſam inueniret. Eſtq; hoc quartum Pilati teſtimonium de Chriſti innocentia. Sed quomodo ſcire potuerunt Iudæi ex hac flagellatione Chriſti, quòd nullam in eo mortis cauſam Iudex cognoſceret? an non potius eum hoc pacto ſontem iudicare videbatur, quum inſontem nemo puniat? ſed indicat Pilatus, niſi dimittendum eum putaret, non ſe fuiſſe paſſurum, vt ita tractaretur, nam condemnatis ipſa mors pœna ſufficiens eſt. Chriſtum tamen vtranq; hanc pro nobis pœnam ſuſtinere neceſſe fuit. Prodijt itaq; poſt Iudicem à militibus ductus, ita vt erat cruentus, liuidus, conſputus, geſtans ſpineam coronam,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ronam, & purpureum pallium, & ſic exeuntem eum Pilatus monſtrans dixit turbæ: ECCE HOMO: ſignificans vix hominis figuram ei ſupereſſe, quaſi dicat, putaſſetis ne, ſic hominem aliquem deformari poſſe? quare nunc ſaltem & vos eius hominis, hominis, inquã, tàm crudeliter ac immaniter lacerati commiſereſcite. Nam locutio hæc: Ecce homo, figura eſt, quæ auditoris mentem feriat, & permouere ſtudeat.

Hîc meritò Chriſtus exclamare potuit illud Propheticum Pſal. 22: Ego vermis, & nõ homo, opprobrium hominis, & abiectio plebis? vt in Eſaïa quoq; de eo ſignificanter prædictum eſt: Non eſt ei pulchritudo, neq; decor, vt intueamur eum, nec ſpecies, propter quam deſideremus eum, contemptus & viliſsimus virorũ, vir plagarum & gnarus infirmitatis, vt cito quis tegat faciem ab eo, ſpretus, & non reputauimus eum. Verum infirmitates noſtras ipſe tulit, & plagas noſtras geſtauit, ſed nos exiſtimauimus eum punitũ & percuſſum à Deo, et afflictum: ſed vulneratus eſt propter tranſgreſsiones noſtras, & contritus propter iniquitates noſtras, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos, ſicut oues errauimus, vnuſquiſq; in viam ſuã reſpeximus, & Dominus incurrere fecit in eum iniquitatẽ omnium noſtrũ. Oblatus

eſt

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

eſt, quia voluit, & non aperuit os ſuum, ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, ſicut ouis (inquã) coram tondentibus ſe obmuteſcens, ſic non aperuit os ſuum &c. non poſſum non in paſſione Chriſti ſæpius hanc Eſaiæ Prophetiam allegare propter claritatem eius, & ſignificantiam.

Cùm ergò vidiſſent eum Pontifices, & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite. Ego enim non inuenio in eo cauſam.

IVdæorum crudelitas, & inuidia non exatiatur vlla Chriſti miſeria, dum in viuis conſpicitur, ſublatum ex oculis eum volunt. Nam aliter ſe cum ſua hypocriſi nec florere, nec viuere quietè poſſe vident: Cum, vt Sol tenebras depellit, et noctem abolet, ita lux veritatis hypocriſin, & falſitatem omnem obſcuret, ac euanceſcere faciat. Sperant autem ſe, illo mortuo, futuros in tuto: ſed longè falluntur, nam tantùm per mortem Chriſti lux hæc ad vitam æternam emicabit, vt granum tritici, niſi ceciderit in terram, & mortuum fuerit, ſolum & ſterile manet: at ſi in terra computruerit, multum fructus profert.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Iohan. 12. Id cùm non intelligunt Iudæi carnales, inſtanter clamant: Crucifige, crucifige. Sed Pilatus iam quintò Chriſto teſtimonium ferens, eum ſine legitima cauſa condemnare ad mortem crucis refugit, dicitq́, non ſine ſtomacho, ſi crucifigi eum ſine iuſta cauſa volunt, faciant hoc ipſi propria, non ſua authoritate: ſe enim id non iuſſurum, niſi legitima proferatur cauſa.

Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem noſtram debet mori, quia filium Dei ſe fecit.

Coacti Iudæi conſtantia præſidis crimen illud, propter quod ipſi Chriſtũ inter ſe damnauerant, hactenus veluti ſuppreſſum Pilato exponunt: quod hactenus eos ideo ſuppreßiſſe puto, ne Pilatus gentilis, & in ſuperſtitionem de multitudine Deorum pronus, magis inde timeret, quicquam Chriſto mali facere, præſertim ſi & miracula eius audiret, vel audita in mentem reuocaret, ideo potius alia figmenta, vel calumnias initio tantùm ei expoſuerunt: ſed nunc neceßitate compulſi, quia reliqua omnia crimina vigilantia & ſagacitas Iudicis facile redarguebat, hoc ei tandem aperiunt, quòd & filium

Dei

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Dei ſe nominauerit, nequaquam tamen temerè aut falsò: ſicut nobis Chriſtianis (laus Deo) ſatis notum & perſuaſum eſt.

Cùm ergò audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit. Et ingreſſus iterum in prætorium dicit ad Ieſum: Vnde tu es? Ieſus autem reſponſum non dedit ei.

TImor Iudæorum, ne Pilatus, hoc audito crimine, magis Chriſtum reuereretur, non fuit omnino vanus. Nam & factum ſic eſt, vt hîc deſcribitur. Quare ſtatim inde ſe Iudex contulit rurſus in prætorium cum Ieſu, vt eum ibi ſecretò de hoc examinaret. Examen autem ab inquiſitione patriæ eius exorditur, ſuſpicans forſan eum in aliqua ciuitate natum, quæ gentilem quempiam Deum religioſius coleret, vt Samij & Carthaginenſes Iunonem, Paphij Venerem, Cretenſes Iouem, Athenienſes Mineruam, Ægyptij, & Philiſtini etiam ſuos. Quare cognita eius Patria, facile ſe coniecturum putabat, cuiusnam Dei filius haberi vellet. Sed ad hanc Iudicis interrogationem nihil Dominus reſpondere voluit, quia prophana fuit, & nihil ad ipſius defenſionem, nec ad aliquam interrogantis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

gantis ædificationem ſpectauit. Quòd autem Pilatus hoc Iudæorum dictum tanta cura, metuq; excepit, indicium eſt, quòd magis ipſe falſos, ac gentiles Deos, quàm Iudæi verum Deum ſuum timuerit. Nam ille quidem offendere veritus eſt hominem, qui filius alicuius ex ipſius Dijs vel exiſtimaretur, præſertim cum etiam opera eius miraculoſa non reclamarent: ſed hi verè Dei Filium & cœlitus proclamatum, & Iohannis teſtimonio multisq; ſæpè viſis miraculis, & auditis doctrinis in crucem abigere nihil timuerunt. Tanta eſt hominum in regno Diaboli peruerſitas.

Dixit ergò ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis, quòd poteſtatem habeam crucifigendi te, & poteſtatem habeam abſoluendi te? Reſpondit ei Ieſus: Non haberes poteſtatem vllam aduerſus me, niſi tibi data eſſet è ſupernis. Propterea, qui me tradidit tibi, magis peccatum habet.

MAgnificè iactat Pilatus eſſe ſibi poteſtatem vel crucifigendi, vel abſoluendi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Chriſtum pro arbitrio ſuo. Sed nos ſciamus Principi nulli poteſtatem eam eſſe, vt vel ſupplicio quenquam innocentem afficiat, vel Reipublicæ damnoſos abſoluat, & impunitos dimittat pro ſuo arbitrio. Hæc enim poteſtas eſt legum, quarum Principes non domini, ſed miniſtri ſunt, & executores. Nam etſi omnis magiſtratus (vt Paulus Rom. 13. teſtatur) eſt à Deo, qui conſtituit homines, vt iudicent, non tamen vult, vt Iudices humanum iudicium, id eſt, proprium affectum, & inclinationem ſeu πρόσκλισιν ſuam, ſed vt Dei ſequantur iudicium, & leges diuinitus latas tueantur. Hoc igitur ſuperbum & impium Pilati dictum ſilentio Dominus non præterijt, ſed reſpondit in hanc ſententiam, quòd Pilatus nihil contra ipſum poſſet, niſi deſuper, hoc eſt, à Deo ipſi conceſſum foret: nempe niſi Deus cōſtituiſſet, vt hoc pacto Filius in mortem crucis traderetur, nec Pilatus, nec totus mundus contra eum quicquam efficeret: ſicut neq; contra quenquam è ſanctis, qui ſunt eius membra. Dicit enim: Nec auicula cadet in terram ſine Patre veſtro cœleſti: Veſtri autem & capilli omnes numerati ſunt. Vnde Iudæi fruſtra aliquoties eum apprehendere conati ſunt anteà, quia (ſicut Euangeliſtæ ſubijciunt) nondum venerat hora eius. Deinde ſequitur in verbis

Domini

Domini collatio inter Iudæorum, & Pilati peccatum: qua grauius deliquiſſe Iudas, & Principes Sacerdotum, quàm Pilatus dicuntur, eò quòd Pilatus in hoc negotium officij ratione ſine odio contra Chriſtum incidat: Iudæi verò Diabolica inuidia & æmulatione ſtimulati quem non innocentem modo, ſed & ſanctum, & Deo charum eſſe facile ſcire potuerunt, eum Pilato crucifigendum obtrudant. Tametſi peccati ſimul & Pilatus arguitur, dum innocentem in aliorum gratiam condemnabit, præſertim cum et ipſe hîc iactet, ſibi poteſtatem eſſe Chriſtum abſoluendi quoq;, non minus, quàm crucifigendi. Nam iјs verbis fatetur, ſe non à Iudæis coactum iri prorſus, vt hominem innocentem in eorum gratiam condemnet: quod alioqui videri potuiſſet.

Ex eo quærebat Pilatus abſoluere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc abſolueris, non es amicus Cæſaris. Quiſquis ſe Regem facit, contradicit Cæſari.

PIlatus à Chriſto commonefactus, quòd poteſtatem ſuam haberet à Deo, Deum iniuſto iudicio non offendendum ſibi, ſed potius inno-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

centem Chriſtum dimittendum eſſe ſtatuit: atq; adeo modũ quærit, vt hoc ipſum perficiat. Quod Iudæi conſiderantes, plauſibilem rurſus illam calumniam, quòd ſe Regem appellaſſet, magnis vrgent clamoribus, & illam exaggerant, quòd ſit crimen læſæ maieſtatis, & contra dignitatem, gloriam, et incolumitatem Cæſaris, tacitè ſimul & minantes, quòd illum eſſent ad Cæſarem delaturi. Quare Pilatus, etiamſi prius audiuit ex ore Chriſti, quòd nullum appeteret mundi Regnum, tamen hoc ſermone percellitur, & propemodum in totum ſubuertitur, vnice videlicet pertimeſcens, ne aliqua illi labes inureretur, vnde gratia Cæſaris excidere poſſet. Sed quòd impius timet, hoc eueniet ei. Quare ſi non hinc, tamen alio de crimine coram Cæſare Pilatus accuſatus, ab eoq; relegatus in exilium, ſibi ipſe mortem (vt ſcribit Ioſephus) conſciuit.

CXII.

Pilatus autem cùm audiuit hunc ſermonem, produxit foras Ieſum, ſeditq; pro tribunali, in loco qui dicitur lithoſtratus, Ebraicè autẽ Gabbata. Erat autem paraſceue Paſchæ, hora ferme ſexta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

PIlatus facta mentione Cæſaris (quem longè ſupra Deum vt Ethnicus timebat) perterritus, omnia iam parat ad ſententiam contra Chriſtum innocentem ferendam. Sic enim ferè fit in hoc mundo, cito flacceſcit humana iuſticia, quæritur ſuperiorum, per fas & nefas, gratia, pauperes negliguntur, ac deprimuntur. Quare Deus bonorū Pater, iudexq; vocari ſuſtinet, Exurge pater orphanorum & iudex viduarum, occupa regnum tuum, iudica orbem in iuſticia, & populos in æquitate, ſis refugium pauperi, refugiū opportunum in anguſtia. Surge Domine Deus, extolle manum tuā, ne obliuiſcaris humilium. Quare blaſphemabit impius Deū? Quare dicet in corde ſuo, quòd non requires? tibi derelinquetur pauper, orphano tu eris adiutor, tu Rex æternus, quo regnante florebunt iuſti, ſed impij, & tyranni fugient de ſuperficie terræ. Interim alius huius mundi Princeps, tumidus & ſuperbus, Chriſti & eius membrorum, videlicet, humilium piorum hoſtis vel certè contemptor dominatur: Hinc perit iuſtus, & non eſt qui animaduertat: Hinc Chriſtus cum Eccleſia ſua conculcatur, & perſecutionem patitur in hoc ſæculo, donec tandem dies extiterint refectionis à facie Domini &c.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Pilatus igitur Chriſtum damnaturus ad populum producit, & ſedet pro tribunali ſolenniter in loco Iudiciȷ̈, qui locus hîc aliquanto latius deſcribitur, poſita Etymologia græca, & Ebraica. Nam Græcè vocabatur λιθόστρατος, quòd lapidibus eſſet ſtratus. Ebraicè verò gabbatha à גבה eminuit, quòd locus eſſet altior, & extans, ex quo videlicet latè videri iudex, & procul ſententia eius exaudiri poſſet. Deinde & tempus deſcribitur, quòd eſſet paraſceue, id eſt, præparatio Paſchæ, nempe dies proximè præcedens feſtum Paſchæ, quæ vſitatè à noſtrîs vocari ſolet vigilia Paſchæ. Quanquam non erat ſabbathum, in quod Paſcha Iudaicum incidebat, ſed ſexta feriarum, quam & diem Veneris & bonam appellamus. Eius diei fuit hora ferè ſexta, hoc eſt, vergebat ad meridiem. Iudæi enim horam primam conſtituebant in exortu Solis, adeoq́; tertiam appellabant, quam nos nonam: et ſextam, quam nos duodecimam vocamus. Item, nonã, quam nos tertiam pomeridianam, & ſic deinceps Quare ſignificat his verbis Euangeliſta, quòd in propinquo fuerit meridies: vt intelligamus per dictiunculam, fermè, nondum fuiſſe meridiem. Nam & poſtea cùm Chriſtus ad caluariæ locum, vbi crucifigendus erat, peruenit, dicitur ab alio Euangeliſta, quòd fuerit hora

tertia, nempe, quòd horæ tres inter nonã, & duodecimam, noſtro more loquendo (quas illi coniunctim tertiam appellabant) nondum fuerint finitæ, hoc eſt, quòd etiam tum adhuc ante meridiem fuerit.

Et dicit Iudæis: Ecce Rex veſter. Illi autẽ clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus Regem, niſi Cæſarem.

ET ſi ſedet Iudex, vt ſententiam conra Chriſtum ferat, prius tamen velut inſtinctu diuino Regem eum Iudæorum vocat, & eum Iudæis quaſi digito monſtrat: Ac ſi diceret Spiritus ſanctus per os eius: Hic Rex, et Meßias ille veſter eſt, quem tàm diu expectaſtis, qui vobis regnum Dauidis, idq́ multò illuſtrius, quàm antiquo Dauidi, vel Salomoni fuit, reſtituet: ſub hoc ab omnibus veſtris hoſtibus defendi, ſub hoc vitam viuere beatam poteſtis, hunc amplectimini, non repudiate, nec humilis eius vos offendat ſpecies: quia non mundanus, profanusúe, ſed veſter ô Iudæi Rex eſt. Hæc Spiritus ſanctus ore Pilati Iudæis concionatus videtur: ſicut & poſtea, Deo linguam & manum eius gubernante,

ſcripſit in titulo: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, prorſus, vt ſupra Caiphas quoq; diuino motu dixit: Expedit vt vnus moriatur pro populo &c. Tametſi Pilatus ipſe, ſicut etiam Caiphas, tàm latè non reſpexit: ſed hæc dicendo vel iocatus eſt, vel hoc ſaltem blando titulo, quòd Rex ipſorum diceretur, eos à furore concepto reuocare ſtuduit. Sed illi non modo non hinc leniuntur: verùm & magis exaſperantur, clamantq; ſe nolle illũ Regem, ſed velle, vt is quàm primùm in crucem actus è medio tollatur, quòd videlicet grauis, inutilis, & minus conueniens moribus ipſorum eſſet, cùm illi meram hypocriſin ſectarentur, ipſe veritatem exigeret.

Hanc Iudæorum pertinaciam audiens Pilatus, adhuc in hoc argumento ſeu iocoſo, ſeu ſerio perſeuerat: ergóne (inquiens) vultis, vt Regem veſtrum crucifigam? quaſi dicat, barbarum id omnino fuerit, proprium Regem non modo non defendere, ſed inſtare quoq; vt cruci affigatur. Quanquam & hæc vlterius diuino conſilio diriguntur, quàm Pilatus cogitauit, vt videlicet Iudæis inculcetur ſumma ingratitudo, quòd hoc pacto Meſsiam ſuũ tandem ad ipſos miſſum excipiant. Sed illi nihilominus obſtinati, & inuidia excæcati ſtultiſsimè vociferantur, quòd nullũ alium Regem velint, quàm Cæſarem, ô im-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

pudentiā, quid ergò legitis Prophetica ſcripta? quid regnum Dauidis collapſum reſtitui petitis? quid adhuc Meſsiam expectatis? an non ille ſcribitur ſeſſurus ſuper ſolio Dauidis? an non is diſperſos Iſraëlis congregabit? Sed contra vos ipſi ſententiam profertis, non vultis Meſsiam habere Regem, & ſub eo ſanctè, beateq; viuere, ergò in tenebris huius mundi ſub crudeliribus Dominis opprimemini, donec ſententiæ huius Palinodiam cecineritis, & ad Chriſtum hunc à vobis repudiatum, et crucifixum, vt eius reddamini ſubditi, denuò confugeritis.

Tunc ergò Pilatus, videns quòd nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret, volens turbæ facere ſatis, adiudicauit, vt fieret, quod illi poſtulabant.

PRæſes rurſus audito nomine Cæſaris, cùm videret ſe nihil proficere, cunctos ipſius conatus, & ſubterfugia Iudæis improbitate ſua vincentibus, tandem dare manus cogitat, cùm à Ieſu contempta & humili perſona parum aut nihil timeat periculi: contra ex Iudæorum inimicitia & malicia in ſumma poſsit incidere mala: Statuit igitur ſecum facere, quod vniuerſa Iudæorum turba petebat. Sic et cum Chriſti membris agitur: in quibus etiamſi

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

culpam nullam profani vident, ſæpè tamen inani metu, ne ſi defenderint eos, in odia potentum incurrant, contra conſcientiam ſuam hoſtibus aduerſus eos aſſentiuntur, & mala de ijs ipſi quoq; loquuntur: quia fide vacui ſunt, & ſecundum oculos ambulant, tantum, quæ ſunt ante pedes, non in longinquũ ſibi proſpicientes. At Chriſtus inquit: Nolite metuere eos, qui corpus occidunt. Poſtea enim nil poſſunt in animã: ſed vos (inquit) metuite eos, qui cùm corpus occiderint, poßint ſimul et animam conijcere in gehennam. Verũ huc vſq, mundi ſollicitudo ſe nõ extendit.



Et ai

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Et accepta aqua, abluit manus coram populo dicens: innocens ego ſum à ſanguine huius iuſti: vos videritis.

ANte generalem ſententiam Pilatus omnem culpam in Iudæos reijcit, & vt hoc melius illi perpenderent, adhibet externam ceremoniam, lauat manus coram populo, conteſtans adhuc ſexta vice, quòd Chriſtus eſſet innocens: & quanquam eum damnaturus ſit, quòd tamen faciat id magis Iudæorum, quàm ſuo iudicio, cùm ipſe ſit gentilis. Iudæi verò magis cauſam hanc intelligere poßint, & aliquid in eo damnabile videre, quod ipſum Iudaicæ religionis ignarum prætereat. At Pilate ſæpè prius ipſe teſtatus es, quòd nihil in eo mali deprehenderes: quin & ſciuiſti, quòd per inuidiam eum tibi tradidiſſent Iudæi Quare nequaquam excuſari potes, etiamſi grauius ille peccaſſe perhibentur. Neque tàm facile eſt animum culpa, quàm à ſorde vulgari manus aqua abluere. NB

Et reſpondens vniuerſus populus dixit: Sanguis eius ſuper nos, & ſuper filios noſtros.



NE Pilatus dubitaret pronunciare conceptam ſententiam contra Chriſtum, recipiunt omnem culpam, & pœnam, quam hac iniuſta Chriſti cæde mærentur, non tantùm in ſe ibi præſentes, verum etiam in poſteros ſuos: quod ſanè horrendum eſt: Nec effectu veſana hæc imprecatio caruit. Nam & poſt annos quadraginta pœnam huius homicidij ſatis atrocem ſanguine ſoluerunt, & adhuc hodiè tragicis calamitatibus paßim ſubiacent: ne de æternis pœnis quoq; dicam, in quas, dum excæcati, & obdurati more Pharaonis, fide Chriſtum recipere nequeunt, vel nolunt potius, nimium heu miſerabiliter incidunt. Quanquam enim Chriſti ſanguis meliora clamat de terra, quàm ſanguis Abelis, nimirum gratiam & reconciliationem fidelium cum Deo, tamen etiam iram, & maledictionem aduerſus impœnitentes, & incredulos clamat, iuxta dictum Chriſti: væ illis, per quos Filius hominis vadit &c.

Dimiſit autem illis Barrabbam, qui propter ſeditionem, & homicidium cōiectus fuerat in carcerem, quem popoſcerant, Ieſum autem flagellatū, & illuſum tradidit arbitrio eorum, vt crucifigeretur.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

DE Barrabba ſupra ſatis dictũ eſt, & ſimul de hac iniqua Chriſti æſtimatione: quam Petrus breuiter, & ſignificanter ob oculos ponit Acto. 3. cùm inquit: *Vos ſanctum & iuſtũ abnegaſtis, et petijſtis virum homicidam ex gratia donari vobis, & vitæ authorem occidiſtis.* Quibus verbis & id probat, quòd Chriſtus non modò cum iniquis deputatus eſt, vt Eſaias ait: ſed quibuſuis quoq; facinoroſis peior habitus. Quin etiam iniquum Pilati iudicium exaggerant Euangeliſtæ, ſignificantes, ab eo duplicem Chriſto illatam iniuriam, primùm, quòd innocentem tradidit, vt crucifigeretur, deinde quòd eum inſuper condemnauit ad mortem crucis, quem præter meritum prius flagellauerat, & indignis modis illuſum tractari fecerat: Nam, ſi crucifigendus fuit, cur prius etiam flagellauit, præſertim, cùm nullam in eo cauſam deprehenderet: ſed ea ferre Chriſtũ pro nobis neceſſariũ fuit, vt ſupra aliquoties inculcauimus. Patet hinc et illud, quod ſatis eleganter Poëta Satyricus dicit, *Dat veniã coruis, vexat cenſura columbas.* Sunt enim fere profani Magiſtratus iudicia telis araneorũ nõ abſimilia: quibus hærent muſcæ, ſed crabrones eas perrumpunt. Sed aliud patefiet in fine iudiciũ, ad quod humiles patiẽter appellare debent. Nam nihil opertũ, quod nõ reuelabitur, quando ſcilicet veniet, qui ſcrutatur occulta cordium.

Accipientes autem Ieſum milites exuerunt eum purpura, & induerunt eum veſtibus proprijs, & abdu-



xerunt eum baiulantem crucem ſuam, vt crucifigerent.

HActenus Chriſtus illam purpuream veſtem, in qua illuſus eſt, & ſimul, credo, ſpineam coronam geſtauit: nunc eum exuta purpura, proprijs, & ſolitis induunt veſtibus, vt videli-

cet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

bet à ciuibus, & hoſpitibus, quibus per plateas ducendus maximum præbiturus eſt ſpectaculum, facilius agnoſcatur, & ſic eius apud eos, qui nouerant ipſum, authoritas minuatur, videntes, & poſtea quoq; memores, quod ad maledictum genus mortis abductus eſſet. Sed Deus ita voluit, vt mors eius omnibus innoteſceret: & vt hac occaſione veſtes eius aſſumptas diuiderent milites, iuxta Pſal. 82. Nec hoc ſatis fuit aduerſarijs, verum & crucem, in qua ſuffigendus eſt, laceris eius humeris imponunt. Atq; id quoq; Deo ſic ordinante, factum non dubitamus: cui placuit, vt vnigenitus ipſius Filius humani generis hoſtia futurus ita ſuam ipſe crucem ad locum ſupplicij geſtaret: Primùm, vt ſic implerentur ſcripturæ, maximè ea, qua deſcribitur Iſaac, cùm à Patre ſuo Abraham in monte Moria iuxta Dei mandatum erat immolandus, ligna, quibus immolatus, concremandus erat, proprijs humeris baiulaſſe: Deinde, ne nos eius membra, crucem, & afflictionem dehinc, vt rem abominandam, fugiamus, at potius, vt ſacram, & ſalutarem viam alacriter ingrediamur, per quam ſolam cum Domino Chriſto in gloriam æternam perueniamus. Tertiò, quòd ſic imago totius Eccleſiæ futurus eſſet. Nam & hæc veluti cruce ſua per hunc mundum incedit onerata.

rata.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

rata. Quod & ipſe, ne ſubterfugiamus, monet his verbis: Si quis venit poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Memores itaq; ſimus, quòd hoc modo Dominum ſequi teneamur, nempe cruce, & afflictionibus grauiſsimis preſsi: Qui ſomniat hîc alia media, quibus pacem, vitam, & incolumitatem ſuã retineat caro, ſeipſum decipit, et vt Chriſtũ non ſequitur, ita neq; cum eo glorificabitur.

Exeuntes autem inuenerunt quendam prætereuntem hominem Cyrenæum, nomine Simonem, venientem ex agro, patrem Alexandri & Ruffi. Hunc apprehendentes coëgerunt, vt tolleret crucem eius: Et impoſuerunt illi crucem, vt portaret poſt Ieſum.

CHriſto iam procul dubio vinculis, plagis, & vulneribus fracto ac languenti, ne crucem ſuam longius portare poſſet, Iudæi non eius commiſeratione, quòd nimium premi videretur, ſed vt magis promoueretur opus crucifixionis: quia Sabbathum, & ſolenne Paſchatis feſtum imminebat, & poſt pauculas horas inchoandum erat,

cogunt hunc Simonem, vt ante Chriſtum eius crucem baiulet: Illum enim fortius, ac celerius proceſſurum eſſe inijciunt. Diſcimus autem hinc, primùm, quòd Deus non ſinat ſuos tentari ſupra quàm poſſunt ſufferre, ſed, quòd cum tentatione ſimul nobis & liberationem procuret: vt Paulus ait. 1. Corinth. 10. Quemadmodum Chriſto languefacto in cruce ferenda iungitur ſocius, & adiutor hic Simon Cyrenæus. Deinde violentia Iudæorum contra peregrinos, & inferiores etiam hoc loco notabilis eſt. Tertiò, nec ideo Simon hic infœlix, quòd hoc ei onus imponitur, ſed admodum beatus, quòd ſolus è tanta ciuium & peregrinorum turba, qui propter feſtum Paſchatis nunc ibi congregati fuerunt, hunc diuinitus accepit honorem, vt crucem, in qua mundi ſalus recuperanda erat, poſt filium Dei baiularet. Nec labor is ei à Chriſto male compenſatus fuit. Nam duo eius filij Alexander, & Ruffus inter Chriſtianos facti ſunt celebres, & ipſe, proculdubio, dum cum Chriſto paſſus eſt, eius gloriæ quoque non fuit expers. Quartò Simon hic eſt imago totius Eccleſiæ, maximè gentium. Nam & hæc in terra ſuæ peregrinationis poſt Chriſtum incedit eius crucem baiulans, & venit ex agro, dum ex varijs nationibus colligitur. Quotquot igitur ſumus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

qui de Chriſto gloriari volumus, Chriſtum ſequamur, eiusq́ crucem, & humilitatis affectum cum hoc Cyrenæo homine perferamus, alioqui tum nemo cum Chriſto glorificabitur. Quintò, videndum tamen, ne, vt Simon hic, nos cogi ſinamus, verum vltroneo animo, ſummoq́ deſiderio, & omnibus viribus huc accuramus, vt ita Chriſto coniungi mereamur. Quanquam ferè fit, vt non niſi coacti, ſaltem initio dum adhuc infirmi ſumus, arctam ſalutis viam ingredi conſentiamus: at poſtea, qui guſtauere, quàm bonum ſit à puericia iugum Dei geſtaſſe, ſciunt ſe ter, quaterq́ fœlices, quos eò clementiſſimus Deus ex immenſa ſua miſericordia, meraq́ gratia, prædeſtinarit, vocarit, & perduxerit, laudandus in omnem æternitatem, Amen.

Sequebatur autem illum multa turba populi, ac mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuerſus autem ad illos Ieſus dixit: Filiæ Ieruſalem, nolite flere ſuper me, ſed ſuper vobis ipſis flete, & ſuper filijs veſtris. Quoniam, ecce venient dies, in quibus dicent: beatæ ſte-

riles

riles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos, & collibus: operite nos, quia ſi in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

MVlta turba hominum, & maximè mulierum ſequitur poſt Chriſtum, quæ in impietate ſua nondum ita prorſus obduruerunt, vt Pontifices, & Phariſæi: Sed humana erga Chriſtum tanguntur miſericordia, flentq́; & eiulant indignam eius miſeriam. Id præſentiens Dominus conuertit ſe, & has mulieres, totamq́; turbam rectius inſtruit, ac indicat nobis, quomodo velit, vt ſuam paßionem vtiliter, & ſalutariter meditemur, videlicet, non vt ipſum planctibus, lachrymis, & commiſeratione (quemadmodum vulgo ſolent facere) proſequamur, ſed, vt peccati noſtri, pro quo ipſo paſſus eſt, vim, ac turpitudinem agnitam defleamus, quo nimirum ita nobis remedium ipſius dulceſcat. Nam ij, qui ſe ſanos putant, nec morbi ſui periculum cognoſcunt, vel metuunt, medicum facile contemnunt. Vt itaq; iuſticiæ ipſius, & gratiæ ſitibundi reddamur, vult vt peccati noſtri grauitatem, &

pœnam peccato debitam vigilanter perpendamus. Atq; hinc non modo Iudæis, ſed & nobis imminentem propter peccata pœnam ob oculos ponit. Vt enim Iudæis excidiũ Ieroſolymæ poſt quadraginta annos à Tito & Veſpaſiano Cæſare futurum prædicit: & id Propheticè admodũ exaggerat, et flebiliter mentibus obijcit: Ita nõ minus præmonet omnes nos, ad quoſcunque verbum eius peruenturum erat, vt peccata noſtra tempeſtiuè lugeamus. Maximè autem perterrefacit profanos, & impœnitentes: quorum pœna certè grauior erit, quàm piorum, qui veram in hac vita pœnitentiam agunt. Illos impios & oblatæ diuinitus gratiæ contemptores imprimis dicit, ſuper ſe, ſuisq; liberis omnes tandem fleturos, nempe poſt extremum iudicium. Tum ſe malè natos, & ad maiorem calamitatem fuiſſe fœcundos grauiſsimo cum eiulatu, dentiumq; ſtridore ſine fine clamabunt.

Nam excidium Hieroſolymitanum, vt iudicij extremi quædam impijs vniuerſis eſſet imago, præmiſſum fuit. Et quemadmodum illic vnico ſuperuenerunt populo, quæ hîc à Chriſto prædicta ſunt: ita lata generali contra cunctos incredulos à Domino ſententia, ſuperuenient eadem & grauiora quoq; (figuratum enim figura non totum repræſentat) vniuerſo hominum generi:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

neri: quorum corda Chriſti ſanguine conſperſa non inueniuntur. Reliqui omnes illic ſe & ſuos liberos amarè deflebunt, & ſteriles dicent fœlices eſſe, quòd non ad ſimilem pœnam liberos vel procreauerint, vel educauerint. Nam mali corui malum ouum, & citius nequicia profanorum parentũ adhæret liberis ad malum pronis: quàm pietatis exempla ſancti vel diligentiſſimi ſuis natis inſtillant. Sed etiamſi plærunq; ſic fit, vt iuſtorum generatio benedicatur: & contrà peruerſi nebulones etiam natorum peruerſitate diuinitus per prauam educationem puniantur, fateor tamen diuerſum nonnunquã accidere. Nam & Abſolon ſeditioſus à pio Dauide, & Ioſias optimus Rex ex Amon impio natus legitur. Hoc igitur intelligitur de eo, quod communiter fit.

Quòd autem additur: Tunc incipient dicere montibus: cadite ſuper nos. Et collibus: operite nos, primùm indicat, maximam futuram anguſtiam cùm in vrbis excidio Iudæis, tùm in æterna condemnatione profanis vniuerſis, tantam videlicet, vt à facie Iudicis irati Dei vel montibus & collibus in ipſos illapſis tegi exoptaturi ſint. Quid nam per hos montes, et colles intelligendum ſit, non eodẽ modo omnes interpretes iudicant. Plæriq; enim exiſtimant

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

futurum vt impij ſint animis ad priſtina ſua vel
religionis, vel voluptatum ſubſidia recurſuri.
Siquidem, cùm in vita ſe ab iræ diuinæ ſenſu de-
fenderint, partim curis, & voluptatibus huius
mundi: partim & falſa fiducia cultuum hu-
manorũ: ſub ijs, tanquã ſub montibus quibuſ-
dam latitantes: cupient etiã tunc ijs ab ira Dei
tutari: ſed id fieri tum nõ poterit, quando mon-
tes omnes à facie Dei, ſicut ab igni cæra liqueſi-
ent. Nam et alibi paßim in ſacra Scriptura reli-
giones montiũ figuris delineantur. Et contextus
in Hoſea quoq; huc facere videtur. Sunt tamen
qui per montes hos homines pios & ſanctos de-
ſcribi malint: ac opinantur, quòd impij tunc ſub
ſanctorum alis, maximè, ſi quibus bene fecerunt,
latere petituri ſint: quemadmodum diues epu-
lo petijt, vt Lazarus digito ſuo in aquam intin-
cto linguam ipſi refrigeraret: quo ſic à flamma,
in qua cruciabatur, nonnihil refocillaretur:
quod & ipſum ei negabatur, vnde volunt, nec
hos à ſanctis reficiendos eſſe, præſertim, ſi nihil
illis, dum vixere, boni fecerunt, at ſi quam eo-
rum egeſtatem ſuppleuerunt: vel certè amici-
tiam cum ijs amore pietatis coluerint, tunc pu-
tant eos patrocinio ſanctorum, ceu montium quo-
rundam vmbraculo perfruituros, & melius ha-
bituros eſſe: quia Chriſtus dicit: Si quis vel

hauſtum aquæ frigidæ vobis dederit, quod ſitis Chriſti, Amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam. Sed de his pij lectoris liberum eſto iudicium.

In fine Dominus, quo tàm horrendam impijs futuram pœnam facilius perſuadeat, argumentum ſubijcit à comparatis in hanc ſententiam: Si Deus Filium ſuum vnigenitum prorſus innocentem, & eius membra, fideles, & ſanctos in Eccleſia, à cruce tàm dura liberare non vult, quò peccatum vel domitũ puniatur: quanto minus ijs parcet, qui in peccatis obſtinatè perdurant, nec vllam ex animo petunt veniam? adhibetq́, pariter ſimilitudinem ligni, vel potius arboris viridis, & arefactæ. Cùm enim aliquis viridem, & fructiferam arborem in ſuo fundo non fert æquanimiter, ſed magno impetu ſuccidit eam, certè multò minus is aridam, et inutilem ibidem impunè feret. Ita, ſi Deus Chriſtum, & Eccleſiam, qui ſunt bona & fructifera arbor, dum fide & Spiritu ſancto ad omne bonum opus fœcundantur, ſub cruce laborare, gemereq́, diu permittit, quò peccatum penitus in ipſis mortificetur, quantam quæſo prophanis tandem infliget pœnam, qui velut putres arbores, omnino ſunt hoſtes ipſius. Huc pertinet illud 1. Pet. 4. Tempus eſt, vt iudicium à domo Dei incipiat.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Si autem primùm inquit, à nobis, quis finis erit eorum, qui Euangelio non obtemperant? Et ſi iuſtus vix ſaluatur, impius et peccator vbi comparebit? Vt enim pij per hanc tantùm vitam è calice iræ diuinæ bibunt, ita profani, qui nunc aliquandiu ferè illam declinant & effugiunt, poſteà eam vnà cum fece per omnem æternitatem epotare cogentur. Nam piorum triſtitia vertetur in æternam læticiam, cùm Chriſtus nos iterum intuebitur, vti dicitur Iohan. 16: Sed hypocritarum, & omnium impiorum ſecuritas in perpetuũ horrorem, & cruciatum, vt in fumum præfocatus ignis, deſinet, vt in exemplo diuitis & Lazari conſpicitur vtrunq;. Similitudinem hanc de ligno viridi & arido multa ſcripturæ loca illuſtrant, imprimis Matth. 7. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem conijcitur, & paſſim obuia in Prophetis vocabula: flos, virga, radix, germẽ, virga, et ſimilia, quibus Chriſtũ cum ſuis depingunt.

Et ducebantur alij duo facinoroſi cum eo, vt interficerentur. Et ducunt eum in locum, qui dicitur Ebraicè Golgata, quod eſt, ſi interpreteris, calua-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

caluariæ locus. Et ibi dederunt ei acetum, ſiue myrrhatum vinum cum felle mixtum bibere, Sed cùm guſtaſſet, noluit bibere.

PRimùm de hac imagine, quòd cum duobus latronibus ad ſupplicium ducatur, paulò poſt, quum in cruce pendebit, latius quædam dicturi ſumus: Hic ſaltem hoc aſcribemus, quòd nullius eum ignominiæ voluerunt hoſtes expertem eſſe. Quare tanquam latronum ſocium, qui viuis omnibus vitam largitur, educi voluerunt. Et hoc non ad honeſtum, ſed ad facinoroſum ſupplicio deſtinatum locum: qui, vt Ebraicè Golgata, id eſt, volutatio torcularis dicitur, ſic latinis rectè patibulum appellatur. Et vide aduerſariorum crudelitatem, ſic afflicto, pugnis liuido, flagellis cruento, probris conſputo, laboribus exhauſto, deniq; iam in crucem tollendo, & mortem ſubituro miſerabilem adhuc illudunt, et afflicto inſuper afflictionem addunt, prorſus vt in Pſal. 88. Dauid de eo cecinit: Et dederunt in eſcam meã fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. Et poſt imprecatiunculam contra eos: quem tu, inquit, percuſſiſti, perſecuti ſunt, et ad dolorẽ vulnerum tuorũ addiderunt. Quanquã nonnulli

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

putant, quòd propterea Iudæi acetum Chriſto bibendum obtruſerint, vt mortem eius maturarent, quoniam & feſtum iamiam incboandum erat, & populi tumultum, ſolitaq́; ipſius Chriſti miracula pertimeſcebant. Atq; ſic etiam eadem cauſa fuit, quòd Chriſtus hunc potum recuſauerit, ne videlicet ante ſtatutam diuinitus horam expiraret. nam aiunt quidam hauſto aceto vulneratis mortem accelerari. Quod myrrhatum vinum hoc Marcus appellat, idem eſſe puto, quod acetum vocat Matthæus. addunt huic potui fel, in eundem finem, videlicet vt & ægrè dolenti faciant & mortem accelerent: ne ſua ſpe (tanquam nigra fele quapiam, vt aiunt, interueniente) fruſtrentur. Chriſto Domino, & Seruatori noſtro, agno manſuetiſſimo, qui hoc modo cum iniquis deputari, & nihil non mali noſtro nomine ſponte perpeti voluit, ſit laus & gratiarum actio cum Patre & Spiritu ſancto nunc & in ſempiternum, Amen.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI PARS SEV

Concio ſexta de crucifixione, & ſeptem Chriſti ſententijs in cruce prolatis.



ET crucifixerunt eum in Golgatha, et cum eo duos latrones, vnum à dextris,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

& alterum à ſiniſtris eius, medium autem Ieſum. Et impleta eſt Scriptura quæ dicit: Et cum iniquis deputatus eſt. Erat autem hora tertia, dum crucifixerunt eum.

NVnc ille ſerpens æneus erigitur: accurrite, videte, ſuſcipite eum, quibuſcunq; morſum peccati ſerpens antiquus inflixit: inflixit autem omnibus, quanquam non omnes id cognoſcunt, ſentiunt ac dolent, vt ſeriò liberationem expetere poßint. Nec vos de voluntate eius dubitetis: En latè ſua brachia diſtendit, quid aliud, quàm omnes ad ſe venientes obuijs vlnis amplecti meditatur? pendet à ligno, ne maledictionem in poſterum timeamus, quum ipſe factus ſit pro nobis maledictum: contrarius Adamo priori, qui maledictionem per lignum introduxit, quiq; vt fieret æqualis Deo, Dei mandatum tranſgreſſus eſt: at hic nouißimus Adam humiliauit ſe infra omnes homines, factus obediens Patri vel in ipſam vſq; mortem, in mortem inquam ignominioſißimam, nempe crucis: Hac via, Dei (quam per ſuperbiam amiſimus) imago nobis recuperanda eſt: hac Dominum famuli

ſequa-

ſequamur: hac nota præceptorem, vt ingenuũ diſcipuli referamus, vt & in gloria poſteà non ſimus ab eo ſeiuncti. Sed aliquanto diligentius, iuxta textum hunc, perpendamus, quomodo ſaluator noſter hic in cruce pependerit.

Primùm, inuenimus, quòd medius pependerit inter duos latrones: Quare Iohannes Euangeliſta ſubiungit, Scripturam impletam eſſe, quæ videlicet Eſa. 53. legitur his verbis: Denudauit morti animam ſuam, & tranſgreſſoribus annumeratus eſt, quo facto certè palam fit, qualis, quàm humilis, & minimè φίλαυτος Chriſti fuerit affectus. Nam à generoſis naturis nihil tardius, quàm gloriæ cupiditas vincitur. Vt & Poëta gentilis ait: Et fortaſsis erit, patrio qui cedat agello: Qui velit ingenio cedere, nullus erit. Omnes enim natura contemptum, & ignominiam, vt ſumma fugimus mala. Cùm itaq; Chriſtus cœli, terræq; Dominus, æterni patris imago, iuſticiaq; eſſentialis condemnatis latronibus annumerari nõ dedignatur, ſed in medio tanquã Princeps eorũ patibulo pro nobis affigi ſuſtinet: manifeſtè ſatis declaratur, quã penitus fuerit ſibi, ſuæq; voluntati, et iudicio mortuus: quod ſimul apud Eſaiam exprimitur verbis his præmiſsis: morti denudauit animã ſuã, hoc eſt,

omnia

omnia ſua deſideria, & concupiſcentiam naturalem in totum abnegauit, ac depoſuit, ſtetitq́ ad mortem non tantùm corporis, ſed & voluntatis ſuæ paratus. Atq; huc & nos progredi tenemur, vt ſic à nobis, noſtriſq́ deſiderijs carnalibus, ſeu naturalibus alieni reddamur, ad cœleſtia tantùm intenti. Reliquit enim Chriſtus nobis exemplum, vt veſtigia eius inſequamur, teſte Petro.

Præterea hæc figura crucifixi Chriſti pulchrè exprimit, quomodo ſemper & Eccleſia in hoc mundo verſetur, nempe pendet in cruce, dum calamitatibus obnoxia eſt, & habet vtrinque latronem iuxta ſe pendentem: quia & profana mundi pars non viuit ſine calamitatibus, quas peccato ſuo iuſtè merentur. Tamen hi profani, velut immemores ærumnarum ſuarum pijs crucem ſuam exprobrant, & illudentes augent. Quanquam ſubinde quidam eorũ monitis, exemplisq́ ſanctorum reſipiſcunt, & ſic ex his miſerijs ad Paradiſum, requiemq́ æternã cum Chriſto, & Eccleſia perueniunt. Alij excæcati, vitæ præſentis ærumnas inferni ſibi veſtibulum faciunt, quod benignus nobis Deus auertat. Porrò cùm inchoata eſt crucifixio, fuit hora tertia, hoc eſt, nondum fuit meridies, adeoq́ tertia (quam nos decimam, vndecimam, ac duodeci-

nam affectam coniunctim appellamus) adhuc incurſu fuit. Nam, quòd nona diu præterierat, inde ſcimus, quòd & ante ſententiam à Iudice latam dicta fuerit hora fermè ſexta, id eſt, fermè duodecima, quia videlicet ad meridiem tempus vergebat.

Scripſerat autem & titulum Pilatus, id eſt, inſcriptionē cauſæ illius, et poſuerat ſuper crucem ad caput Ieſu. Erat autem ſcriptum: Ieſus Na-



zarenus Rex Iudæorum: Hunc ergò titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus, Et erat ſcriptum literis Ebraicis, Græcis, & Latinis. Dicebant ergò Pilato Pontifices Iudæorum: noli ſcribere: Rex Iudæorũ, ſed quòd ille dixerit: Rex ſum Iudæorum, Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.

II Tituli inſcriptio

HÆc etiam ad formam crucifixionis clarius ob oculos lectori ponendam ſpectant. Fuit autem conſuetudo Romanorum, neminem, indicta cauſa, morti tradere. Quare, ne Ieſum hunc innocentem toties à ſe quoq; pronunciatum planè ſine cauſa condemnaſſe videretur cauſam eius, qua ſe permotum ſignificare voluit, ligno crucis adſcripſit, & ſupra caput Chriſti veluti titulum cuiuis legendum poſuit, nempe, quòd Rex eſſet Iudæorum. Id Pontifices immutari cupiebant, & ſcribi, non quòd eſſet Rex Iudæorum, ſed quòd temerè ſe Iudæorum Regem appellari voluiſſet. Verùm Pilato ſic, vt erat ſriptum, relinqui placuit, non opinor ſine

graui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

graui conſilio: quia videlicet hoc modo ſperauit ſe Iudæis perſuaſurum eſſe, ne in poſterum aliquem Regem, vel Meßiam amplius expectarent, cùm Rex ipſorum, quem expectaſſe diu viſi fuerant, iam veniſſet, et ſic ſuam in terris vitam finiſſet. Nam durior præſidibus Iudæa fuit prouincia, quòd ſemper ad antiquum Dauidis Regnũ in Meßia, neſcij quomodo, inſtaurandum reſpicerent incolæ. Monet egitur eos, ne poſt hac Regem politicum ſibi naſciturum exiſtiment, cùm is iã aduenerit, et ſe illũ promiſſum Iudæis Meßiam non tantùm affirmarit, ſed & miraculis plurimis confirmauerit: qui tamen in hoc mundo nullum affectauit Regnum, ſed ſe natum aſſeruit ad veritati cuipiam teſtimonium ferendum, forte ſperans ſe melius Romanis hoc titulo ſatisfacturum, qui et ipſi lætaturi ſint, quòd ſpes de venturo Rege ſuperſtitioſis Iudæis prærepta ſic videretur. Certè has, vel ſimiles cauſas Pilatus in titulo ſecutus eſt, quare et ſupra clamauit: Ecce rex veſter. Sed nihilominus Deus animũ, linguam, & manũ Pilati mouit, & huc impulit. Nam ipſe certè Deus ſic palàm Iudæis teſtari voluit, illum crucifixum, & non alium eſſe promiſſum Patribus Meßiam: deq; tali, & ſic tractando Rege Spiritum ſanctum eſſe locutum: adeóque, ſi quis eius Regnum ingredi

cuperet,

cuperet, ita deformari, nec ipſe refugeret. Hic enim titulus à plurimis cùm gentilibus tum Iudæis, qui illo tempore propter feſtum Hieroſolymis fuerunt, legi potuit, partim, quòd locus crucifixi Chriſti non procul eſſet ab vrbe ſitus, partim, quòd literis, non tantùm Ebraicis, verùm etiam Græcis, & Latinis eſſet ſcriptus: Quæ linguæ tres toto orbe ferè celeberrimæ tunc temporis erant, vt hodiè quoq; ſunt præcipuæ, quibus Chriſti crux, & Regnum æternum propagatur. Nam vetus teſtamentum totum Ebraica ſibi vendicat, Græca ſibi maiorem Apoſtolicæ ſcripturæ partem, quanquam nec hinc excluditur Ebraica, quum & Apoſtoli linguæ auitæ phraſibus admodum delectati conſpiciantur. Latina his additur, quia propter imperium Romanum omnes orbis Chriſtiani nationes in eam propemodum conſenſerunt, & adhuc aliquo modo conſentiunt: dum vbiq; in ſcholis à Iuuentute diſcitur, & hac ſola quàm latiſsimè lucernæ Spiritus, ſi quæ noſtris temporibus accenduntur, ſuam lucem ſpargant, & nationibus diuerſis communicent: vt hanc prærogatiuam tribus his linguis, potius quàm alijs, à cruce Chriſti profluxiſſe veriſimile ſit.

Milites

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Milites ergò, cùm crucifixiſſent Ieſum, acceperunt veſtimenta eius, & fecerunt quatuor partes, vnicuiq; militi partem. Et tunicam. Erat autem hæc tunica inconſutilis à ſummo contexta per totum. Dixerunt ergò inter ſe: Ne ſcindamus eam, ſed ſortiamur de ea, cuius ſit: vt ſcriptura impleretur, quæ ſcripta eſt per Prophetam, dicens: Partiti ſunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam dederunt ſortem. Sedentes autem ſeruabant eum ibi. Et milites quidem hæc fecerunt. Et populus ſtabat ſpectans.

DIſcimus ex hac narratione, primùm, quòd nihil omiſerint Iudæi, quo Domino Chriſto ſe ægrè poſſe facere ſperarent. Quare, cùm ſcirent, homini ſpectaculum imprimis graue eſſe, cui bona ſua ante oculos diuiduntur, etiam ei ſpectaculum hoc iam in crucem ſublato (militibus eius veſtes, ipſo à cruce ſpectante diuidentibus)

bus) exhiberi ſategerunt. Deinde videmus etiam impiorum actiones, non hîc modò, ſed & alibi paßim in gloriam Dei, quanquam iis nihil tale veniat in mentem, dirigi. Nam & hæc militum crudelitas, eò facit, vt ſcripturæ Propheticæ implerentur. Siquidē hiſtoria, quæ hîc ab Euangeliſtis de diuiſis Chriſti veſtimentis deſcribitur, ferè ad verbū in Pſalmo Dauidis 22. legitur hoc modo: Partiti ſunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem, plane non aliter, ac ſi Dauid aſtitiſſet, & primùm veſtes in quatuor partes diuidi, mox de inconſutili tunica mitti ſortem vidiſſet.

Terciò, notanda eſt hæc imago. Quemadmodum enim Chriſtus in cruce nudus pendet, dum interim profani milites certatim veſtes eius ad ſe rapiunt: ſic plærilq; huius mundi bonis impij petulanter & nequiter abutuntur: cùm pij (quibus tamen vel ſolus ea ſeruire meritò deberent, niſi aliter huius mundi principi viſum eſſet) in egeſtate ferè deſerti conſpiciantur. Quartò, magis allegoricè veſtes Chriſti ſignificant eius doctrinam, hanc primùm hæretici velut inter ſe partiti ſunt, dum partem tantū ex ea ſuis falſis opinionibus admixtam defenderunt, partem ſectis alijs reliquerunt, at poſtea, cum doctrina, refutatis hæreticis facta eſt velut inconſutilis, quæ ſcilicet per ſectas, & hæreſes

amplius

amplius diuidi facile, ſineq́; euidenti periculo nō poſsit, qualis viſa eſt poſt Pelagij & Auguſtini tempora, quando errores plæriq; per Scriptores orthodoxos expugnati ſunt, alea experiri cœperunt, cui nam illa Chriſti tunica, nimirum ſacra ſcriptura cedere deberet. Nam de primatu in Eccleſia tunc inter ſe miniſtri certare paſsim auſi ſunt: cùm alij Hieroſolymitanum, alij Alexandrinum, quidam & Conſtantinopolitanum, plæriq; verò Romanū Epiſcopum vniuerſalem, cui videlicet omnes alij ſubditi, et obedientes eſſent, voluerunt. Quod quid aliud fuit, quàm alea de primatu concertare? Lucratus eſt autem in illo luſu Romanus Epiſcopus, qui ſolus deinde ſe ſupra Scripturam, et Concilia proclamari curauit. Nec minus nunc poſt inclinationem authoritatis Romanæ luſus hic etiam inter noſtros procedit, quanquā non tàm apertè. Benignus Deus hanc filij ſui tunicam viuis Chriſti membris tandem reſtituere dignetur. Atq; his agendis dum intenti ſunt milites, interim ſtat in circuitu magna populi frequentia eminus Chriſtum in cruce iam erectum ſpectans: & ſic in Chriſto prius impletum eſt, quod poſteà de Eccleſia Paulus dixit: Puto, quòd Deus nos Apoſtolos vltimos oſtendit, vt morti deſtinatos, quia ſpectaculum facti ſumus mundo, angelis et hominibus etc. 1. Corinth. 4.

Ieſus autem dicebat: Pater remitte illis, neſciunt enim quid faciunt.

HIc iam aliud ſummi noſtri Pontificis officium deſcribitur, cùm orare Chriſtus pro peccatoribus introducitur. Tria enim, quæ præcipuè in ſummis veteris teſtamenti Sacerdotibus requirebantur, videlicet, vt populũ Leges, et inſtituta Dei ſui docerent, vt ſacrificia pro populo ſimul, & pro ſe offerrent, & vt pro populi, ſuisq; delictis exorarent, ea omnia pleniſsimè Dominus peregit, vt optimo iure ſummus noſter Pontifex, vt in Epiſtola ad Ebr. appellatur, dici poßit. Quòd enim docuerit populum, ſatis eſt ex Euangeliſtis manifeſtum. Sacrificium autem obtulit ſeipſum in ara crucis, ad cuius baſim & ſanguis ipſius largiter effuſus eſt, vt prolixè hactenus audiuimus. Ne itaque deſit, quod tertio loco in ſummo Sacerdote requiri diximus, En, hîc etiam eius pro reis interceßio deſcribitur. Vnde certißimum colligitur, quòd ipſe per ſummum veteris teſtamenti Sacerdotem à Moſe et Prophetis depictus ſit, ſub quo reliqui quoque Chriſtiani Sacerdotes quidem ſunt omnes, attamen inferiores, donec ſub finem ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti excreuerint.

Nam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Nam id cùm fiet, omnes verè pij tùm ſummi cum Chriſto Sacerdotes euadent, & hæc eius officia ſpiritualiter imitari cogentur.

Porrò conſideremus propius hunc affectum Domini Ieſu Chriſti, quo omnibus eum viribus etiam exprimere conemur. En Dominus hic à ligno crucis pendet, vt populus eum ſpectans maximè maledictum, et execrabilem eſſe non dubitet, madet ſanguine, ſordet ſputo, vulneribus ſaucius, viribus exhauſtus, veſtibus ſpoliatus, morti proximus, in ſumma anguſtia, nihil tamen prius petendum ducit, quàm vt autoribus tantæ iniuriæ Deus ignoſcat, & peccatũ tàm atrox remittat. Hinc diſcipulis, qui Samaritanorum inhoſpitalitatem igni cœlitus demiſſo punire volebant: Neſcitis, inquit, cuius Spiritus eſtis vos, videlicet, qui non elatus, & vindictæ ſit cupidus, properetq́ ad interitum hominum: ſed qui mitis ſit, & humilis, ac vel ſuo malo proximi ſalutem redimere geſtiat. In hoc Spiritu, & in hac indole Chriſtum ſequi debemus, hinc toties clamat: Ego dico vobis, qui auditis: diligite inimicos veſtros, benefacite odientibus vos, benedicite maledicentibus vobis, & precamini pro execrantibus, & perſequentibus vos. Percutienti te in maxillam præbe & alteram, & ab eo, qui veſtem tuam aufert, et tunicam noli pro-

bibere, vt ſitis filij altiſsimi Luc. 6. De hoc affe-
ctu Chriſti imitando concionatur etiam Paulus,
Rom. 12. cùm inquit: Si eſurit inimicus tuus,
ciba eum, & ſi ſitit, da ei quod bibat: Hoc enim
faciens, carbones ignitos coaceruabis ſuper caput
eius, ne vincaris à malo, ſed vince in bono ma-
lum. Id imprimis ex hac Domini pro ſuis cru-
cifixoribus interceſsione nobis diſcendum eſt.

Deinde conſiderandum quoq;, quàm ea
Chriſti precatio fuerit efficax. Nam plurimi ex
his, qui nunc in Chriſti mortem conſenſerunt, ad
primam Petri concionem Acto. 2. pœnitentiam
egerunt, & baptizati Chriſto nomen dederunt,
quibus proculdubio tum & peccatum hoc pro-
pter interceſsionem Chriſti remiſſum eſt. Ter-
tiò, nō ignorare debemus, quòd etiam hodiè qui-
cunq; verè ad Chriſtum conuerſi ſalutem conſe-
quuntur, id beneficij tantùm per hanc, & ſimi-
lem aliam Chriſti pro nobis interceſsionem con-
ſequamur. Nam & nos paſsionis eius rei ſu-
mus, dum pro noſtris peccatis, quæ aſſumpſerat,
pati coactus eſt, nec nos natura ſumus his Iudæ-
is meliores, at ſi qui ſunt facti meliores, id ne-
quaquam habent à ſe, ſed ex gratia, & Spiritu
Chriſti gratis acceperunt, vt Paulus ait: Quid
habes, quod non accepiſti? Si accepiſti, quid
gloria-

gloriaris? Hoc igitur cogitantes meritò nos ipſos lugebimus: Verum conſolationem accipiemus ex eo, quòd Chriſtus nihilominus apud Patrem ſuum (qui nihil ei negat) pro nobis interceſſerit, vt & Eſaias inquit: pro tranſgreſſoribus orabit &c.

Quartò videndum etiam, pro quibus peccatoribus Chriſtus oret, nempe, pro ijs tantùm, qui non intelligunt malum, quod faciunt, quale peccatum dicitur in filium hominis committi, hoc eſt, in Chriſtum, quatenus is nondum ſuam diuinam gloriam & maieſtatem palàm patefecit. Interim ſæpè contra eum delinquimus ex ignorantia, non facturi, ſi plenè illum cognoſceremus, vt & Paulus ait 1. Corinth. 2: Si ſciuiſſent eum, haudquaquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Verùm cùm Chriſti Spiritus & maieſtas alicui plenè innotuit, ſicut in fine futurum eſt, qui tamen malum bono perfectè cognito præponit, is in Spiritum ſanctum peccare dicitur, nec ad veram pœnitentiam perueniet, vt in gratiam recipi poſſit: quia nec pro talibus interceſſio Chriſti fit, vt ait Iohan. 17. Non pro mundo oro, ſed pro ijs, quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Hinc etiam 1. Iohan. 5. ſcribitur: Eſt peccatum ad mortem, non

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

pro eo dico, vt ores. Ab hoc teterrimo peccato miſericors Deus, & Spiritus veritatis, lucẽ & gratia ſua defendat, & conſeruet nos in æternũ, Amen, Sicut & futurum eſt in omnibus ijs, qui ſunt bonæ voluntatis. Nam ſola citra maliciam infirmitas eò ſe non extendit.

Qui autem præteribant, conuitia iaciebant in eum mouentes capita ſua, & dicentes: Væ, qui demoliris templum, & in tribus diebus extruis, ſerua temetipſum. Si filius Dei es, deſcende de cruce. Similiter & ſummi Sacerdotes illudentes inter ſe cum Scribis, & ſenioribus & populo, dicebant: Alios ſeruauit, ſeipſum ſeruare nõ poteſt. Si hic eſt ille Chriſtus Rex Iſraël, ille Dei electus, ſeruet ſeipſum, deſcendatq́ nunc de cruce, vt videamus, et credamus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc, ſi vult eum. Dixit enim, filius Dei ſum.

Clamat Chriſtus per Prophetam Ieremiam, Thren. cap: 1. O vos omnes, qui tranſitis per

viam,

viam, attendite, videte, ſi dolor eſt, ſicut dolor meus, velut ad commiſerationem, & admirationem ſuæ paßionis inuitans prætereuntes. At hîc ſcribuntur nihil moueri calamitate Chriſti prætereuntes, ſed magis conuitijs, & exprobrationibus pendentem inceſſere, mouentes capita ſua: quod in Pſalmo 22. clarè prædictum fuit his verbis: *Omnes, qui vident, derident me, loquuntur labijs, & mouent caput, dicentes: Sperauit in Deum, eripiat eum, & liberet eum, ſi beneplacitum habet in eo.* Quod ſic redditur, Sap. 21. *Si verus eſt filius Dei, ſuſcipiet eum, & liberabit eum de manu contrariorum.* Sic velut ad verbum hæ blaſphemiæ in Chriſtum à Prophetis prædictæ ſunt, quia ſcilicet nequaquam fuerunt mollia, ſed grauiſsima, quum nihil ei, quod eximium, & egregium, laudabileq́; in ipſo videri poßit, hoſtes relinquunt, vtpote, nec Meßiæ, ac filij Dei titulum, nec veritatem in doctrina, nec diuinam in miraculis edendis potentiam, Deiq́; fauorem, virtutem, & aßiſtentiam: ſed hæc omnia irridendo (quia ſcilicet nihil nunc in eo tale conſpicitur) ei ſubtrahunt, & negant.

Cæterùm hoc ita fieri neceſſe fuit, non tantùm, vt impleretur Scriptura, quæ dicit Pſal. 69: *Propter te ſuſtinui opprobrium. Operuit*

ignominia faciem meam: ſed imprimis, vt hoc prototypo, & principali exemplo doceret, quid nobis in tota vita ſequendum proponere deberemus, videlicet mortificationem noſtri, hoc eſt, omnium, quæ chara habemus, opum, honorum, voluptatum abnegationem, vt nimirum animo tranquillo vel amiſsionem, vel affluxum eorum, imò & mortem ipſam perferamus, exemplo Domini, qui pendet hîc in cruce, non tantùm iam iam moriturus, verum & ante mortem ad nihilum planè redactus omnium hominum iudicio, qui ipſum circumdabant, velut canes, ac tauri ſæuiſsimi. De quibus admodum apertè Dauid huc reſpiciens vaticinatus eſt Pſal. 22. cuius aliquoties meminimus, quòd ſingulariter hanc paſsionis hiſtoriam illuſtret, vt & caput Eſa. 53. In illo Pſalmo ſic loquitur Propheta ſub nomine Chriſti: Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me, aperuerunt contra me os ſuum, vt leo rapiens, & rugiens, tanquam aqua effuſus ſum, & luxata ſunt omnia oſſa mea. factum eſt cor meum ſicut cera liqueſcens in medio viſcerum meorum. Exaruit inſtar teſtæ, virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis, & in puluerem mortis deduxiſti me. Quia circumdederunt me canes, cœtus malignorum obſederunt me, foderunt manus meas,

& pedes meos, numerabo omnia oſſa mea, ipſi conſiderauerunt, & cum voluptate viderunt me, diuiſerunt ſibi veſtes meas, & ſuper tunicam meam miſerunt ſortem &c. In quibus Propheta verbis an non apertè paſſionis huius hiſtoria texitur? De calumnia demoliendi templum diximus in tertia concione. Miramur autem hîc Pontificum amentiam ſimul & impudentiam: dum enim Chriſtum deformare ſtudent, ſimul quædam admiſcent, quæ manifeſtè bona ſunt, vt, quòd alios miraculosè ſeruauerat, & quòd in Deo fiduciam collocauerat. Hæc optima per ſe, Chriſto veluti malefacta infringunt, & admodum prauè argumentantur: quia videlicet ſeipſum non liberat à cruce, ideo nihil fuiſſe, quòd alios à morbis varijs, & ab ipſa quoque morte liberauerit. At nos multò conuenientius, & verius conuertemus hoc argumentum in hunc modum: Quia alios quoſcunq; voluit, liberauit, etiã ſeipſum, ſi vellet, liberare poſſet, atq; adeo, quia id non facit, certum indiciũ eſt, quòd ſponte velit pati, quoq; id nobis expediat. Verum peruersè iudicat mundus, & omnia, contra eos, quos odit, in malã partem rapit, etiã euidenter bona, ſic nunc & integram, & vera tum humilitate, tum dilectione plenam vitam in Chriſtiano calumniari non verentur, Nos hîc etiã in

memo-

memoriam reuocabimus ea, quæ in præfatione, & aliquoties poſtea de meditationibus paſſionis Dominicæ diximus, quo veram hinc diſcamus, & amplectamur pœnitentiam.

Latronum.

Id ipſum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo exprobrabant conuiciantes ei.

NOtabilem ſupra diximus hanc eſſe imaginem, quam indicet, quomodo impij, qui & ipſi in maximis hærent calamitatibus, idq́; iuſtè propter culpam & flagitia ſua ſuam pijs crucem exprobrent, & augere ſtudeant: Quanquam horum quidam reſipiſcunt interdum, vti de altero latronum horum paulò pòſt videbimus. Nunc ſequitur in textu.

CXV. *Illudebant autẽ ei & milites, accedentes, & acetum offerentes ei, atq; dicentes: Si es Rex ille Iudæorum, ſaluum te fac.*

Militum.

DEſcribitur ordine Dominus ab omnibus fere ſtatibus hominum deriſus, et illuſus: Primùm à tranſeuntibus quibuſuis in populo. Deinde à religioſis, ac doctis. Tertiò etiam à facinoro-

timoroſis, quaſi peior ipſis habitus. Quartò nunc hîc agentibus, nempe à militibus Romanis, qui fuerunt ſatellites Pilati. Nam & hi per iocum amarulentum ei ſubinde potandum obtrudunt acetum, et Regis Iudaici titulum, vt falsò vſurpatum, obijciunt, vt nos ab ipſo patientiæ diſcamus exemplum, hoc ipſum, quòd ſic à gentibus illudendus eſſet, ipſe Chriſtus prius apud Euangeliſtam Matth. 20. prædixerat.

Vnus autem de his, qui pendebant, facinoroſis, conuicia dicebat in eum dicens: Si tu es Chriſtus, teipſum ſerua, & nos. Reſpondens alter increpabat eum dicens: Ne tu quidem times Deum, quòd in eadem damnatione es, & nos quidem iuſtè: Nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali geſſit. Et dicebat ad Ieſum: Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi Ieſus: Amen dico tibi, hodie eris mecum in Paradiſo. Erat autem ferme hora ſexta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ALter latronum in impietate ſua perſtat, & , horrendum dictu, blaſphemando Chriſtum expiraturus eſt. At ſocius eius: qui quanquam & ipſe latro fuit, & initiò Chriſtum ipſe quoq; per ignorantiam conuitijs, & probris forſan onerauit, vt ſupra dictum eſt: nunc tamen immenſa Dei miſericordia Chriſti innocentiam conſiderat, & ei pro Regno ſupplicat, in ſumma, verè ad Chriſtum conuertitur, & ſalutem conſequitur æternam. Quare dulciſsima hæc hiſtoria non ita curſim prætereunda eſt, cum pleniſſima ſit huius mundi velut imago quædam. Diſcendum igitur ex ea, primùm, quanta ſit profanorum hominum veſania, qui cùm velut in cruce pendent, maximis ærumnis, inedia, ſiti, periculis, curis, angoribus mortis, deniq; & morti iamiam irruituræ ſubiecti, Chriſtũ interea, per quem ſolum ab his miſerijs liberari, & ad æternam beatitudinem perduci poſſent, in ſuis membris, aut verbis contemnunt, rident, affligunt, & perſequuntur, vt in perpetuum ita miſerè proruant exitiũ. Talis huius mundi cæcitas euidenter admodum in altero latrone non conuerſo depingitur. Deinde cogitandum, quanta fiat gratia nobis, qui & ipſi ſontes, & latronum non abſimiles (dum ſæpè proximum odijs, & inuidia, quantùm in nobis eſt, proh dolor, occidimus) his ca-

lamitatibus propter peccata noſtra premimur, mox & morituri: quod interim, immenſo Dei beneficio Chriſtum prope nos pendentem, addiſcamus, & mentis, fideiq́, oculos, in eum conijcere moueamur. Id enim haudquaquam poſſemus, niſi ſingulari gratia Deus nos traheret, & ad Chriſtum fidemq́, in Chriſtum perduceret, quo ſic æternam euadamus mortem, & condemnationem. Ei ſit laus in æternum.

Tertiò conſideremus et benignitatem Chriſti in recipiendis lapſis, dum pœnitentiã agunt, & ad ipſum vera fide confugiunt. Videmus enim hîc, quòd nec latronem inuocantem auerſetur, & à ſe tanquam indignum venia, reijciat, exprobrans ei crudelia, & immania latrocinia: ſed clementer eum, quia nunc miſer eſt, & afflictus, & in afflictione ſua gratiam ab ipſo quærit, etiam paradiſi, id eſt, æternæ beatitudinis amœnitate iamiam, eodem videlicet illo die, conferenda recreat, & exhilarat. Hinc liquet Chriſtum veniſſe in hunc mundum, vt peccatores ſaluos faciat. Nemo itaq; dehinc peccator, dum reſipiſcere, & verè pœnitentiam agere non refugit, animum abijciat, ac de gratia deſperet. Cùm enim nec latro conuerſus fruſtra Chriſtum inuocauerit, patet, quòd omnibus, quibuſcunq; fœdati ſunt delictis, modò conuerti ſuſtinent,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

liber ſit ad Chriſtum gratiæ thronum acceſſus. De peccati quantitate, vel qualitate non inquirit Dominus: hoc vnum ſcrutatur, an conuerſio ad ſe, & pœnitentia ſit vera.

Quòd autem hæc huius latronis conuerſio vera fuerit, & minimè ſimulata per hypocriſin, manifeſtum eſt, nõ tantùm ex euentu, quòd gratiã impetrauerit, ſed etiam è circumſtantijs huius hiſtoriæ. Siquidẽ primùm, fuiſſe contritum, vt loqui ſolemus, ac doluiſſe, quæ prima pars eſt veræ pœnitentiæ, patet inde, quòd & iuſtè pati fatetur & vt oneratus peccato, pœnæq; æternæ metu, releuationem humiliter à Chriſto petit: Si enim fuiſſet ſecurus, fremuiſſet contra iudices, & hanc ſolummodo vitam curaſſet: adeoq; de aliquo ſæculi alterius Regno parum, aut nihil fuiſſet ſollicitus. Nam, vt ſanus non inquirit medicum, ſic ab onere, quod non ſentit, nemo liberari feſtinat.

Deinde quod etiam veram habuerit fidem, euidenter in textu ſignificatur. Non enim deſperat, nec fremit contra Deum, ſed intuetur Chriſtum, eumq; agnoſcit innocentem, et ſine ſua culpa, pro ipſo videlicet, & alijs reis hominibus, pati. Sicut inquit: Hic verò nihil mali fecit. Vnde & ad eum confugit, inuocat illum, nimirũ & verum Meſſiã, et filium Dei credens, qui hac

humili-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

humilitate tranſiret ad Regnum ſuũ æternum & cœleſte, quod verba inuocationis declarant: *Memento mei quum veneris in Regnum tuum,* ac ſi diceret: Credo te Regem, ſed non huius mundi, ſicut Pilato dixiſti: verum cœleſtis Regni. Quare non amplius peto, vt, ſi Meßias es, liberes me de cruce hac, quam ſcio, & doleo me commeritum, ſed oro, vt in tuo cœleſti Regno clementiam tuam experiar. Si quæris vnde tanta hæc ſciuerit latro, nihil aliud reſpondere poſſum, quàm Deum per Spiritum ſuum ſanctum illi mentem aperuiſſe, vt etiam ea, quæ per illuſionẽ Chriſto obijciebantur, diligentius perpenderit, ac eadem per fidem, & illuminationem diuinam vera eſſe intellexerit, & in animo comperit, vt verè ſtatuerit, Chriſtum eſſe verum Meßiam, filium Dei, & liberatorem generis humani, qui & ipſi peccata licet maxima libenter ex gratia condonare vellet. Huius fidei fructus quoq; & actionum nouitas in eo clarè conſpicitur, dum Chriſtum tanquã innocentẽ prædicat, et in anguſtia tanquã ſeruatorẽ inuocat: & proximũ ſuum peccantem reprehendit, ad verã pœnitentiam eum ſecum perducere laborans. Atque ideo, (quia videlicet verè pœnitentiam egit) ei cum iureiurando Dominus paradiſum eodem illo die conferendum promittit, nempe

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

omnem illam ſpiritualiter beatitudinem, & fœlicitatem, quam primi parentes habuerunt in Paradiſo, & quam ſuo lapſu amiſerunt, ſcilicet, iuſticiam, & vitam æternam. Nam hæc amiſerunt, in contraria mala, peccatum, & mortem æternam præcipitati.

Patet etiam ex hac ſententia quòd animæ non vnà cum corporibus intereant. Neq; etiam, quòd corporibus diſſolutis, illæ prorſus dormiant, & ſenſus omnis expertes ſint. Nam ſic non illo die ſed in futuro demum iudicio, reſuſcitato corpore, Paradiſo reſtituendus dici potuiſſet: Niſi fortè quis contenderit, totum æternitatis tempus voce vnius diei, & huius Hodie (quia tunc illā ingredi, vel mox ingreſſuri videbantur) exprimi: ſimplicem ſenſum nos potius vbiq; ſequimur. Diſcimus itaq; hinc præter cætera, Dei miſericordiā et opulentiā erga peccatores reſipiſcentes. Vnde caueamus, ne vnquā vel in ipſa morte de Dei bonitate deſperemus. Videntes nihilominus, ne præfractè pœnitentiam in extremū vitæ terminū differamus: Nam nec in noſtra manu fides, & pœnitentia poſita eſt, ſed è ſolius Dei gratia dependet: nec ferè Deus largus eſt, & veram dat pœnitentiam ijs, qui vocantem vſq; ad extremum contumaciter ſpreuerunt. Vt indicat Salomon Prouerb. cap 1. Nos

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

igitur & vocantem Chriſtum vigilanter audiamus, & in quacunq; neceſsitate, cum fiducia pœnitentiam agentes, accedamus. In fine Lucas indicat, cum hæc inter Chriſtum, & latrones geſta ſunt, fuiſſe adhuc circa horam ſextam, nempe, non diu (ni fallor) poſt meridiem.

CXVI

Ab hora verò ſexta tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, vſq; ad horam nonam, & obſcuratus eſt Sol.

ID eſt, noſtro more loquendo, inter duodecimã, & tertiam pomeridianam. Teſtantur autem hæ tenebræ: quæ non tantùm in Iudæa, ſed per totum orbem factæ credendæ ſunt (nam & Athenienſis Dionyſius Areopagita dicitur eius in Græcia meminiſſe) primum: Chriſtum eſſe verum Deum conditorem omnium rerum, cùm in eius anguſtia Sol quoq; deliquiũ paſſus eſſe videatur, vti Dionyſius ille ex his præter naturam factis tenebris collegiſſe ſcribitur: aut mundum tum collapſurum, aut opificem afflictum fuiſſe. Deinde ſignificant, quantæ tenebræ eſſent in animis Iudæorum, qui Meſsiam ſuum diu promiſſum, & nunc exhibitum ſic trucidarent, & Prophetia, quodammodo erat, quòd Sol iuſticiæ poſthac ijs non eſſet exoriturus, ſed quòd eſſent in horribili cæcitatis nocte perpetuò man-

ſuri & interituri. Præfiguratæ videntur hæ trium horarum tenebræ tenebris trium dierum in Ægypto, quæ deſcribuntur Exod. 10. Nam, vt illæ præcedebant liberationem Iſraëlitarum à ſeruitute Ægyptiaca, ſic & hæ præmittuntur liberationi, ſed totius humani generis à lege, & peccato. Nec aliter exoriri debent in cordibus omnium piorum tenebræ doloris, & mortificationis his extremis temporibus, priuſquam plenè per Chriſti Spiritum viuificari, & ab omni malo penitus expurgari poterunt.

Et circa horam nonam clamauit Ieſus voce magna, dicens: Eli, Eli lama azabtani? quod eſt, ſi quis interpretetur: Deus meus, Deus meus, cur me deſeruiſti? Quidã autẽ illis ſtantium, cùm audiſſent, dicebant: Ecce Heliam vocat iſte. Et ſtatim currens vnus ex ijs, & cùm accepiſſet ſpongiam, & impleuiſſet aceto, imponens arundini, potauit eum, & cum alijs dicebat: Sinite videamus, an veniat Elias, vt deponat, & ſeruet eum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

CIrca horam nonam, id eſt, inter duodecimam, & tertiam, iam tamen ad tertiã propius accedente tempore, miſerabilis hîc Domini noſtri Chriſti clamor auditus eſt, ſumptus ex initio Pſalmi 22 quem ſic Dauid Chriſti typus orditur: Deus meus, Deus meus, quare me deſeruiſti, longè à ſalute mea ſunt verba rugitus mei &c. Significans diu ſe iam intentè ad Deũ clamaſſe, ſed quaſi fruſtra, quum non liberaretur. Perpendamus nos diligenter hunc affectũ Chriſti: primùm, vt ſciamus, quantæ miſeriæ pijs tolerandæ reſtent, dum Chriſti ſequentur exemplum. Deinde, ne deſperemus, cùm ſimiles in tentationes ipſi quoq; demergi, & prorſus à Deo deſeri videbimur. Vt enim peccata, ſic omnes infirmitates noſtras Chriſtus tulit, in quibus ipſe non deliquit, vt nobis in ijs compati poſſet, & nobis eas ignoſcere vellet. Quidquid enim ipſe tulit, & expertus eſt in ſe, in nobis non damnabit. Vt certiſſimè in omnibus hominibus damnat ea omnia, quæ non guſtauit, nec in ſe expertus eſt ipſe: qualia ſunt, peccata contra conſcientiam, obſtinatio, duricia, ſuperbia, ſecuritas, fremitus contra Deum, & effrenis deſperatio. Huiuſmodi, quia ipſe nulla infectus prauitate, guſtare non potuit, nec alij cuiquam, dum non in vera pœnitentia corriguntur, ignoſcit:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ſed infirmitatem quamlibet, & lapſus in pauidis, humilibus, lugentibus, & agentibus pœnitentiam, quin etiam luctam cùm aduerſus alia quæuis peccata, tum & contra fremitus, ac deſperationem, quia hæc ipſe pro nobis tulit libenter & in nobis fert, & nobis ignoſcit. Licet igitur lux Dei ſæpè non ita ſe proferat in animis noſtris, at in fumum triſticiæ, ac deſperationis videatur euaneſcere, caueamus, tamen ne vnquam in deſperationē conſentiamus, verum potius contra eam omnibus viribus pugnemus, & vel in morte vitam, tametſi non ſine dolore, & lucta, ſperemus: et ſic, en, Chriſti viua manemus membra, et cum Chriſto per mortē perueniemus ad æternam vitam. Quare? quia ſic, & in tali humilitate nos Chriſtus præceſsit, atq; hanc viam ſanctificauit, vt non ſit amplius damnoſa, ac mortifera. Vos hanc ô pij ſine propria humana ſapientia ingredimini, per hanc alacriter currite, per hanc inquam, Dominum, & præceptorem veſtrum ſequimini: quia hæc eſt, & non alia, quæ ducit ad vitam.

Cauſæ, quibus impulſus ita Chriſtus exclamauit, fuerunt partim extrinſecus eum circumſtantes afflictiones, quæ (vt hactenus audiuimus) innumeræ ſimul, & atrociſsimæ erant: dum à diſcipulis derelictus, imò & pro-

ditus, & abnegatus, à religioſis condemnatus, à miniſtris cæſus, irriſus, conſputus, & veſtibus ipſo conſpiciente diuiſis ſpoliatus, & nudus, quaſi nec luce Solis iam obſcurati dignus, in ſumma, ab omnibus creaturis deſtitutus in cruce pendet: Partim, quia ſimul & peccati maledictionem, & iram Dei, quo nos etiam ea cum ipſo vincere poſſemus, in animo ſuo ſenſit. Hinc ita, veluti deſperabundus, & in maxima lucta conſtitutus non dixit leniter, ſed exclamauit voce magna. Quod autem in ea lucta nequaquam ſuccubuit, inde patet, quòd & Deo, non alijs miſeriam ſuam conqueritur, & bis conſtanter Deum, Deum ſuum appellat. Sic & nos in graui tentatione confugere debemus ad inuocationem diuini nominis, & ad meditationem Scripturæ diuinitus inſpiratæ. Nam, vt dixi, Chriſtus è Pſalmo vocem hanc deſumpſit. Quòd autem hîc legitur in textu Græco apud Matth: & Marcũ zabachtani, cùm in Pſalmo ſit ſcriptum azabtani, puto librariorum eſſe vitium, præſertim cùm idem teſtetur addita vocis interpretatio. Deſeruiſti me: quod per azabtani, non per zebachthani Ebraicè ſignificatur.

Porrò, quòd Eli, Deus meus, quidam de Elia dictum putant, notat imperitiam plebis,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

quanquam eos veriſimile eſt de Pilati militibus fuiſſe, quibus Ebraica lingua non tàm plenè cognita fuit, vel Iudæis forſan hac veluti facetiæ ſtudio Chriſtũ irridere placuit. Ne dicamus interim, quòd Ebrææ linguæ puritas nõnihil tunc Syris vocabulis corrupta fuerit, & vulgo minus conſueta. Quare dicunt facetè, vt ſibi videntur: Sinite, videamus, an ſit venturus Elias, vt deponat eum à cruce & libertati reſtituat. Et interim aliquis miniſtrorum eum aceto potat, quod ſæpius in paßione factum videtur. Nam & paulò antè milites, quando eum cum aliȷs irridebant, ei ſimul & acetum guſtandum obtrudebant, partim, vt magis eum affligerent, partim, vt ſic ei mortem accelerarent. Quemadmodum in fine ſuperioris libri diximus: hinc nihil & me peccaturum putaui, ſi & ea, quæ Iohannes de aceto cum hyſſopo mixto in potum Chriſti ſcribit, ab his diſtinguerem: præſertim cum nec ego eos, quibus aliud viſum, damnem, aut oppugnem, ſed textum ſequentem apud Iohannem continuè mihi legere, & exponere propter ſublimia myſteria placuit, in hunc modum.

Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius, & ſoror matris eius

Maria

Maria Cleophæ, & Maria Magdalena. Cùm ergò vidiſſet Ieſus matrem, ac diſcipulum aſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce Filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua, & ab illa hora accepit eam diſcipulus in ſua.

IVxta literam videmus impletum eſſe Mariæ matri Chriſti cum alijs eius amicis, quod Simeon prædixerat Luc. 2: Et tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Cùm enim & vnicum et tàm amabilẽ ſuum Filium, quem et Filiũ Dei credidit, ibi coràm aſpexit pendere medium inter latrones, & ignominioſiſſima morte velut maximè ſceleratum plecti, nulli dubium eſſe poteſt, quin in ſummo fuerit dolore. Vnde domi non latet, ſed ſub ipſam vſq; crucem eum ſequitur. Nec parum & filium, quatenus verus, & naturalis homo fuit, hic matris afflictiſſimæ & corporaliter à ſe deſerendæ conſpectus commouit, & contriſtauit. Nam, qui ignominia aliqua notantur, minus ferè dolent, ſi non & parentes ſuos ita pudefaciunt. Deinde cura Chriſti pro matre ſue, qua Iohannem ei, tanquam tuto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

rem ſuo loco ſubſtituit. Declarat licere pijs, vt morituri mediocriter ſuorum rationem habeant, & neceſſaria, quæ poſſunt abſq; perturbatione mentis, ijs prouideant. Iohannes autem à Chriſto velut ex teſtamento, tutor matris ipſius conſtitutus, eam in ſua recepit, id eſt, diligentem eius curam in poſterum habuit. Vnde & iuxta 4. Præceptum, longæuum eum fuiſſe putant. Nam diu vſq; ad tempora Traiani imperatoris vixit. Sed nos arcanum huius hiſtoriæ ſenſum diligentius inſpiciemus. Quæ enim hic vſq; ad expirationem Chriſti à Iohanne ſcribuntur, maxima continent myſteria de Chriſto, & Eccleſia. Quare & continuo nobis textum legere & exponere placuit.

Itaque Ieſu mater, & aliæ duæ Mariæ ſtantes iuxta crucem Chriſti ſignificant Eccleſiam, quæ Chriſti veſtigijs inſiſtens ipſa quoq; ſub cruce verſatur. Sed omiſſis duabus de vna matre Chriſti, nomine omniū (quoniam & ſi plures Eccleſiæ ſunt particulares, tamen vnica tantùm eſt Eccleſia catholica, ſub qua particulares omnes comprehenduntur) Euāgeliſta loqui pergit: quod primùm, viſæ ei diſcipulum, & mox eam viciſſim diſcipulo commendauerit: vel potius, quòd primùm oſtenſo diſcipulo matrē conſolatus ſit, & mox diſcipulo iniunxerit, vt ma-

tris curam haberet, ex quibus id arcano ſenſu diſcimus, quòd Eccleſia (quæ per matrem hîc, vti dixi, depingitur) initiò conſeruari, propagariq́; aliter haud potuerit, quàm per diſcipuli curam, id eſt, per miniſterium humanum, vt homo nimirum Eccleſiæ curam ſuſciperet, verbum prædicaret, Sacramenta adminiſtraret, lupos arceret, & oues vita, doctrinaq́; præiret. Sic nunc Eccleſia conſeruanda eſt, donec nondum aduenerit conſummatio, quòd interim nudum, & merum Chriſti Spiritum capere pro tempore nondum queamus.

Notandum tamen, quòd primùm Eccleſiæ diſcipulum, id eſt, verbi miniſtrum oſtendit, inquiens: Ecce filius tuus, ac ſi diceret: ego quidem nunc morior & cœlum conſcendam: nec palàm dehinc inter homines videbor docere, et prædicare, ſed excitabo pios miniſtros, quibus & Spiritũ meum impertiar, vt purè meo nomine verbum Euangelij prædicent: dum ipſe tandem aduenia͂: hos meo loco interim habebis, nec eſt, quòd metuas, erunt tibi fideles, vt filij genuini. Deinde miniſtrum inſtituit, inquiens: Ecce mater tua, quaſi dicat, ne æſtimes eam filiã, vel ſororẽ tuam, vt parũ eam reuerearis: multò minus ancillam tuam, vt quiduis in eam auſis: aut alienum, quam facile contemnas: ne dicam,

amaſi-

amaſiam, cùm qua, vel ex qua bona huius ſæculi inquirens laſciuias : at exiſtimes Eccleſiã ô miniſter eſſe matrem tuam, quam caſto amore diligas : cui omnem curam, vigilantiam, & reuerentiam debeas, quum te pepererit, ſuoq́ ſacræ doctrinæ lacte aluerit : cùm, niſi ipſa eſſet, tu nõ eſſes, miniſtri ſiquidem Eccleſiæ filij ſunt. Quum igitur additur poſteà : Et ab illa hora diſcipulus eam accepit in ſua : ſignificatur, miniſterium inſtitutum eſſe à Chriſto, pendereq́ hinc Eccleſiam à Verbi miniſtris non corruptis : vt videlicet, quæ ipſi docent, & prædicant iuxta verbum ipſis à Chriſto commiſſum, ea reliqui tanquam Chriſti mandata ſequi cogantur. Et hoc vſque ad tempus, quo Regnum ſuum Dominus diſcipulo ablatum, Patri ſuo tradet iuxta Scripturam, vt ſequitur in Iohanne :

Poſt hoc ſciens Ieſus, quòd omnia iam conſummata ſint, vt conſummetur Scriptura, dicit : Sitio. Vas igitur erat poſitum aceto plenum : Illi autem, cùm impleuiſſent ſpongiam aceto, et hyſſopo circumpoſuiſſent, obtulerunt ori eius.

PRopter maieſtatem contextus non auſus ſum hæc alijs aliorum Euangeliſtarum narrationibus, vt ſolent, permiſcere, & veluti confundere: nec ex hoc noſtro, opinor, ordine magna exiſtent incõmoda, nec noui quid introducere volui: ſequatur quiſq; liberè, quod melius iudicauerit. Ac iuxta literam quidem hîc deſcribitur Chriſtus, cùm iam abſolutè perpeſſus eſſet omnia, quæ Prophetæ de ipſo paſſuro prædixerant, clamaſſe ſuauiſſimum hoc verbum: Sitio. Quanquam enim nihil abſurdi eſt, ſi dixerimus, eum tunc ſitijſſe naturaliter, cùm iam toto ferè ſanguine penderet exhauſtus, & morti proximus. Tales enim ſitire multum ſolent: alia tamen Chriſti ſitis Euangeliſtæ verbis expreſſa videtur, nimirum voluntaria: cùm hæc ei, veluti cauſa præmittatur, quod ſciuerit omnia conſummata eſſe. Quare non malè exponunt, qui hîc Philoſophantur, quòd hominum ſalutem & redemptionem compleri ſitiuerit, iuxta ſententiam Luc. 12: Ignem veni mittere in terram, & quid volo aliud, quàm vt nunc exardeſcat: & baptiſma habeo baptizari, & quo modo augor, dum perficiatur. Siquidem aliter perfici non potuit humana, quam ſummopere expetiuit, redemptio, quàm per amariſſimam aceti, & ipſius mortis ignominioſæ potionem. Sed nos liberi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

us ad allegoriam expatiemur, hæc à capite Chriſto ad corpus eius, nimirum ad Eccleſiam tranſlaturi.

Cùm itaq; ſuprà deſcripta ſit Eccleſia noui teſtamenti tantùm inchoati, nondum conſummati, qualis eſt, dum adhuc ſub doctrina externa detinemur, & per ſpeculum in ænigmate, ſeu obſcuro, elementari nimirum verbo tantùm videmus, non facie ad faciem, en, hîc nunc ſublimis Euangeliſta progreditur, vt eandem Chriſti Eccleſiam, qualis ea futura eſt ſub conſummationem omnium, nobis depingat: Et ſic iam conſtare poteſt, cur præmiſerit Euangeliſta verba hæc: Sciens Ieſus, quòd omnia iam completa eſſent, vt conſummaretur Scriptura, quia videlicet conſummatio Regni Chriſti tunc reuelanda erit, & ipſiſſima Scripturæ mens producenda: cuius hactenus tantùm literalis, & humanus innotuit hominibus intellectus. Deus enim, quanquam Spiritus eſt, verbis tamen ad humanum captum accommodatis, id eſt, humanis, & in mundo notis propter noſtram imbecillitatem vſus eſt. At in fine, cùm omnia conſummanda erunt, ipſiſſimam Deus mentem, indolem, & Spiritum ſuum ſanctis in Spiritu veritatis proferet. Atq; tum & Scriptura complebitur, quia ſpiritualis agnoſcetur, quum

antea

antea carnalibus tantùm carnalis, & de humanis rebus loqui viſa ſit.

At quum hoc optatiſſimum tempus proueniet, quid nam tum futurum? Primùm, clamabit Ieſus: SITIO, nimirum in ſuis membris, hoc eſt, viua Eccleſiæ membra, non amplius tum vt prius, manebunt ſub mundi huius elementis, & cultibus externis: at cor ijs innouabitur, imprimis autem concipient ardentiſſimum deſiderium famemq́; & ſitim diuinæ iuſticiæ, qua anhelabunt, ſuſpirabunt, flagrabunt, & velut ſitient ad Chriſti conformitatem, nō tantùm quatenus is nunc in gloria ſui Patris eſt, ſed quatenus etiam prius humiliatus, paſſus & mortuus eſt. Idem in fine ſæculorum omnibus alijs operum, cultuum, opinionum, ac dogmatum curis ab animo ſepoſitis vnicè deſiderabimus, & inquiremus, vt videlicet cum Chriſto crucifigamur, humiliemur, & moriamur nobismetipſis, id eſt, vt propriæ noſtræ ſcientiæ, & voluntati renunciemus, quo & Chriſti gloria, lux, iuſticia, vita, pax & Spiritus in nobis locum inueniat. Hæc vnica via erit ad conſummationem, vt ipſe Dominus teſtatur Lucæ 24. Nonne oportuit pati Chriſtum, & ſic intrare in gloriam ſuam? Nec tum inuitis ea

ſpiritu

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ſpiritualis afflictio, ſed cupidis, ac ſitientibus inferri debebit, ſi fœliciter ad conſumationem proficient. At quum Chriſtus clamabit hoc modo: SITIO, videlicet mortem & redemptionem humanam, id eſt, quum doctrina hæc in Eccleſia reuelabitur, quòd exardeſcere debeamus amore, ac deſiderio Spiritus Chriſti, cumq́ ſancti paßim hanc viam ingredientur, quid proximè tunc ijs fiet? nempe, quemadmodum in textu ſubiungitur, acetum exemplo Chriſti cum hyſſopo ex magno vaſe bibere cogentur: Hoc eſt, ex magna anguſtia, quæ vndiq́ eos circumſtabit, mortis acerbitatem humiliati guſtabunt. Et id cùm fieri incipiet, cùm iam ſcilicet plane nobis, noſtræq́ voluntati, & concupiſcentiæ mori ſuſtinebimus, tunc in foribus erit conſummata iuſticia, gloria nimirum Chriſti. Quam ob rem & ſubiungit Euangeliſta Iohannes:

Cùm verò accepiſſet Ieſus acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite tradidit Spiritum.

AD literam conſummata tunc erunt omnia, quæ de paßione, morteq́ Chriſti per Prophetas prædicta ſunt, quia videlicet, hoc aceto guſtato, ſenſit appropinquare mortem. Sed,

arcano ſenſu delineatur ea, de qua modo dicere cœpimus, nimirum extremis temporibus) cum illa tanta anguſtia prædicta per Danielem Prophetam, & ab ipſo Domino, quanta nec antea fuerit, nec poſtea ſequetur, nempe tota veteris Adæ cum omnibus deſiderijs, & faſtu ſuo mortificatio, quæ & hîc per acetum hoc depingitur, guſtata, ſuperataq; erit) plene ſanctis obuentura mentis & animi reformatio, quam velut impletam, & perfectè conſummatam prædicabimus, quum hoc afflictionis & mortificationis acetum ſicienter imbiberimus.

Debemus autem notare: Primùm, quòd hîc tantùm dicatur acetum acepiſſe, cùm tamen aliquoties ei obtruſum eſſe ſcribatur, nam & antequam in cruce erectus eſt, memoratur guſtaſſe quidem, ſed non bibiſſe, & poſtea per ludibrium ei ſubinde milites acetum obtulerunt, vt biberet, ſed quòd hauſerit, nihil additur: vt nunc Iohannes clarè dicit, quòd acceperit, quia priuſquam appropinquauit conſummatio, tulimus illam tantùm crucem, quæ nobis per alios, tanquam inuitis inflicta eſt, nec ſciuimus plenè rationem, quomodo nosipſi crucifigere deberemus: at nunc non modò ſponte admittere mortificationem noſtri, ſed & ſitire, ſedulisq;, ac omnibus deſiderijs eam inquirere docemur, vt ſic

nimirum ad æternam reſurgamus vitam. Deinde ſit hîc etiam hyſſopi mentio, de quo antè nihil dictum audiuimus: quia nunc demum illa plena Chriſti humilitas & mortificatio ſui locum in ſanctis habebit. Hyſſopus enim, vt herba eſt humilis, & humi creſcens, et calida, ſic ferè in Scriptura Chriſtum humiliatum exprimit. Vnde Dauid inquit: Aſperge me Domine hyſſopo, & mundabor.

Tertiò, cùm hîc ante mortem corporalem Dominus hoc acetum biberit, & omnia conſummata proclamauerit, indicium eſt, quòd tempus conſummationis omnium, de quo loquuti ſunt omnes Prophetæ, teſte D. Petro, futurum ſit etiamnum in hoc ſæculo, vel ante generalem corporum reſurrectionem. Nam Chriſtus Eccleſiæ ſuæ perfectiſsimus typus eſt. Nec ſiniſtrè accipiendum eſt, quòd Chriſtus typus dicatur. Quanquam enim verus Deus eſt, apud quem nō eſt vlla tranſmutatio: tamen quatenus in humana natura nobis apparuit, & humano more nobiſcum vixit, ac mortuus eſt, non tantùm veritas typis multis præfigurata, ſed & eminentioris veritatis typus eſt: Siquidem vt corpus eſt vmbra Spiritus, ita, quæ in corpore Chriſtus egit & paſſus eſt, ea Spiritu ipſius tandem in conſummatione plenè reuelandum adhuc ad-

umbrant

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

umbrant, vt quæ Paulus particularia vocat, 1. Corinth 13.

Quartò, cùm iam dictum ſit, quæ ſit via ad conſummationem, nempe vera ſitis, & ardens deſiderium ad Chriſti cùm humiliationem, tùm gloriam & iuſticiam. Et ſimul quodnam ſit medium aceti, nimirum & hyſſopi cupita potio, qua cum Chriſto moriamur, quam & conſummatio tum continuo ſequitur, vt dicitur: beati eſurientes, & ſitientes iuſticiam, quoniã ſaturabuntur: quæri nunc poteſt, quid adducta nobis cõſummatione facturi ſimus: at, nec in textu diligens Euangeliſta Iohannes, vel potius per Iohannem Spiritus ſanctus id omittit, cùm ſubiungit: Et inclinato capite tradidit Spiritũ. En hæc eſt illa magnifica, de qua loquimur cõſummatio: non videlicet, qualis eſt mundi victoria, qui triumphat, exultat, ſuperbit, & ferocit, quando, quod cupit, obtinuit. Verum Chriſtiani, quum perfectè Satanæ, carnis, & mundi victores euadent, nihil tale ſecundum hominem præ ſe ferent, ſed en, omnia, quæ dixi, deponent, & abnegabunt: Hoc enim indicatur per caput inclinatum, & Spiritum traditum.

Quanquam inter hæc duo ſic diſtinguere licet, vt capitis inclinatio ſignificet abnegatio-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

nem propriæ ſcientiæ,etiam eius,quam nobis externi verbi litera ſubminiſtrauit. Nam & futurum tandem prædictum eſt, vt nemo dicat amplius proximo ſuo: Cognoſce Dominum, quòd cognituri ſint eum tunc omnes, magni pariter & parui. Quare & Paulus inquit 1. Corinth. 13: Prophetiæ abolebuntur, linguæ ceſſabunt, ſcientia antiquabitur, quum videlicet charitas, quæ nunquam excidet, proferetur. Id cùm fiet, cùm ſcilicet nullum amplius alicuius doctrinæ, vel ſcientiæ, ſiue ſacræ, ſiue profanæ reſpectum, & admirationem habebimus, Ibi caput, quod ſcientiæ ſedes eſt, inclinaſſe dicemur. Ac tum etiam Spiritum trademus, hoc eſt, omnem ſecuritatem, & ferociam deponemus, vt velut mortui cum Chriſto ſepeliamur, & ita ſabbathum ſanctum, quod Prophetæ tàm ſtudioſè nobis commendant, ſpiritualiter peragamus. Nam vti dixi, quæ in Chriſto corporaliter facta ſunt, in membris verè pijs ea & Spiritualiter, vt per Spiritum eius impleri tandem omnia debent.

Propter hæc & plura fortè myſteria, quæ nos aſſequi non potuimus, hunc Iohannis textum continuè legere voluimus, nunc ad alios Euangeliſtas redibimus: ex quibus Matthæus & Marcus quæ ſcribunt, admodum ſignifican-

tia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

tia nobis hîc prælibanda ſunt: cùm hanc, de qua agimus, conſummationem, ea quoque pulchrè delineent: Sic enim inquit Matthæus: Ieſus autem cùm iterum clamaſſet, voce magna, tradidit Spiritum. Et ſic Marcus: Ieſus autem emiſſa voce magna expirauit. Quibus verbis id præter hiſtoriam vtrobiq; ſignificatur, quòd in fine mundi tempore conſummationis omniũ etiã doctrina ſit innouanda, quòdq; doctrina, quæ tunc à Spiritu perfectionis Chriſti miniſterio ſanctorum proponenda eſt, ſit futura magna vox, & clamor efficax, quo videlicet iam velum noſtræ carnis frangetur, ſaxa rumpentur, monumenta ſanctorum aperientur. De quibus poſtea dicemus, quia ſpiritualis erit doctrina, quam Spiritus ſanctus Apoc. 11. vocat ſeptimam tubam, eamq; ſic deſcribit: Et ſeptimus Angelus tuba cecinit, & factæ ſunt voces magnæ in cœlo dicentes: Facta ſunt regna mundi Domino noſtro, & Chriſto eius, & regnabit in ſæculum ſæculorum &c. Quare cùm tanta futura ſit vltimæ tubæ, ſeu vltimi temporis doctrina, vt ſuum Deo, & Chriſto eius Regnum adducere poſsit, ſuperatis omnibus huius mundi potentatibus, meritò magna vox, & clamor ab Euangeliſtis

 nomi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

nominatur. Iam, quæ Lucas de morte ſeu expiratione Chriſti ſcribit, ſeparatim his adiungamus.

Et cùm clamaſſet voce magna Ieſus dixit: Pater in manus tuas commendo Spiritum meum, & hæc dicens, expirauit.

SEntentia hæc legitur in Pſalmo 37. cum Dauid in magnis periculis verſans Deo ſuum Spiritum, id eſt, ſuam vitam, animam, & corpus, adeoq; ſe totum commendabat. Ad eundem Pſalmi locum et beatus Stephanus iam lapidum congerie propemodum obrutus, imminente morte, reſpexit, Act. 7. dicens: Domine Ieſu ſuſcipe Spiritum meum. Eodem igitur & nos confugere debemus, non modò cùm in mortis periculo verſamur, ſed in tota vita perpetuò Deū ſuppliciter orantes, vt vitã, corpus, animã, Spiritum, et omnem neceſſitatem noſtram ſibi commendatam habere velit, cùm ipſe ſolus & creauerit ſecundum animam, & corpus, & creatos à diſſolutione præſeruet: & etiam diſſolutos nouiſſimo die ſit inſtauraturus. Atq; id ipſum plena cum fiducia faciemus, nihil dubitantes, quin hanc noſtram commendationem, tametſi peccatores, & indigni ſimus, admittere velit,

velit,maximè cùm Chriſtus hac ſua vltima vo-
ce non modò ſuum Spiritum,ſed & omnium no-
ſtrum in manus paternas commendauit. *Vt*
enim ipſe Deus verus, perfectè beatus, & rei
nullius indigens eſt: ita, quicquid à Patre pe-
tit,id nobis,qui ſumus eius membra,non ſibi ſo-
li petit. Quare cùm Chriſti petitionem Pater
non aſpernetur,ex animo confidemus, dum per
veram pœnitentiam in Chriſto tanquam viua
eius membra manebimus,quod & noſtrum ſpi-
ritum ſibi commendatum benignè ſit acceptu-
rus.

Porrò miraculum,quod voce magna cla-
mans Dominus expirat,quum reliqui homines,
neceſſario certè tum amittant vocem, & loque-
lam, præter myſterium, de quo modo diximus,
indicat, Chriſtum verum eſſe Deum, qui mor-
tem habeat in ſua poteſtate: quiq; , cùm velit,
morti, vel negare, vel tradere ſe queat. *Vnde*
& deponere eam,cùm voluit, nimirum, tertio
die potuit: ſicut ipſe dixit de vita ſua: pote-
ſtatem habeo ponendi, & iterum aſſumendi
eam. Hic iam et id reſumendũ quod in textu Io-
hannis paulò antè ſecundũ ſenſum arcanum ex-
poſui, nempe quòd inclinato capite Dominus
tradidit Spiritum. Nam & iuxta manifeſtam

 hiſto-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

hiſtoriam id vtilem continet admonitionem de paupertate, & egeſtate Domini, quam Luc. 9. expreßit his verbis: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: at Filius hominis non habet, vbi caput reclinet, vt hîc planè conſpicimus. Nos igitur paupertatem, quam Chriſtus tulit, & ſanctificauit, ne nimium fugiamus, ſed impoſitam diuinitus patienter feramus, nec ſimus Domino, magiſtroq́; noſtro Chriſto molliores, qui non in egeſtate tantùm viuere, ſed & mori pro nobis dignatus eſt, pro quo ingente beneficio tibi cum Patre, & Spiritu ſancto gratias agimus æternas, & proſtrati coram te Domine Ieſu petimus humiliter, ac toto pectore, vt mors tua ſit vita noſtra, Amen.

PAS-

PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI PARS SEV

Concio ſeptima, de ijs, quæ circa mortuum & ſepultum Chriſtum geſta ſunt.

Hic in ſeptima noſtra ſectione conuenienter addemus & ea, quibus Dominus iam carni mortuus in ſepulchro quieuiſſe, myſticumq; ſeptimi diei Sabbathum peregiſſe ſcribetur. Vt enim in principio rerum, cùm homo, die ſexto creatus fuit è limo terræ, Deus quieuit in poſterum, ita planè & hîc, poſtquam Dominus per quinq; dies Hieroſolymis prædicans, ad paßionem ſuam paulatim progreſſus, & ſexto die mortuus, nos vitæ reſtituit, in ſepulchro deinde ſabbathizauit: nec aliter Eccleſia forſan adhuc in ſexta annorum chiliade, ſeu millenario, carni mundoq; mortua ac ſepulta ſpirituale Sabbathum inchoabit, ceſſabitq; à ſuis propriæ ſcientiæ, & voluntatis operibus, vt Deo viuat & operetur. Quantũ enim à nobis diſcedimus, appropinquamus Deo. Sed abſq; longiore præfatione textum continuemus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Et ecce velum templi ſciſſum eſt medium in duas partes à ſummo ad imum, & terra mota eſt, & petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, et multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt, et egreſſi è monumentis poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.

DVm adhuc vixit Dominus, ab omnibus creaturis, & ab ipſo quoq; Deo viſus eſt deſertus, nec alia fuit ſpecies, quàm ſceleratiſſimum eum hominem, ac Deo inuiſum eſſe: quia ſcilicet omnia mala pro nobis ei vincenda fuerunt. At nunc, vbi mortem conſtanter perpeſſus eſt, & perſeueranter ad finem vſq; Deum glorificauit, ſtatim viciſſim eum Deus multis glorificare miraculis incipit, vt, quem exeuntes homines vt peſſimum ſeductorem, abominati fuerant, pro eo reuertentes, tanquam indigna paſſo ſua pectora plangant. Hæc autem hîc deſcribuntur miracula, primùm: Velum templi ſciſſum eſt, quod ſcilicet pendebat in Sanctuario, diſtinguebatq; Sanctum ſanctorum à reliqua

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

liqua templi parte, de quo legatur Exodi caput 26. eaq; omnia quid ſignificent, ſi cui ſcire placet, videat noſtras imagines in Exodum. Hîc id breuiter tantùm annotamus: per velum hoc ſignificari cæcitatem cordis humani, quæ reliqua manet etiam in ijs, qui per æterni verbi auditum, fidem in Chriſtum conceperunt, vt etiamſi in exteriore tabernaculi parte conſtituti videantur, intimam tamen eius aulam, in qua propiciatorium, & arca fuit, nequeant conſpicere. Hæc cæcitas naturalis per hoc velum ſignificata eſt. Quare vt velum hoc in morte Chriſti fractum legitur, ita & cæcitas illa perit. & amouetur tum demum, quando cum Chriſto ſpiritualiter morimur. Vt inquam, corporeum velum, in morte Chriſti corporali ruptū & amotum eſt, vt ea, quæ prius in Sancto ſanctorum poſt velum abſcondita latuerunt, iam coram cernerentur: Ita velum noſtræ mentis, quod facit, vt nihil de Deo aliter, quàm vmbraticè cognoſcamus, tum demum in veritate tolletur, quando ſpiritualiter cum Chriſto nobiſipſis moriemur. Hoc autem adhuc in præſenti ſæculo futurum eſſe colligi poſſe videtur ex narratione S. Lucæ, qui ſcribit hoc velum fractum, Domino etiamnum viuente, tametſi ad mortem iam appropinquante, videlicet priuſquam clamauit:

Pater

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Pater in manus tuas commendo Spiritum meum. Quanquam & corporalem Chriſti mortem, ſpiritualiter præcipuè nobis eſſe exprimendam aliquoties diximus.

Secundò, terra mota eſt, nimirum veluti cohorreſcens ad hoc indigniſsimum factum, quòd filius Dei conditor omnium rerum à ſuis ipſius creaturis tàm crudeliter occideretur: & veluti iram Dei, ac pœnas parricidis denuncians. Nam & terræ tremor inſtantis alicuius mali præſagium haberi non fruſtrà ſolet. Ne dicam & myſticè accipi poſſe, quòd videlicet per Chriſti mortem, & mortificationem noſtræ carnis, terrena noſtra corda primùm tentationibus concuſſa molleſcant, & perdomentur.

Quod idem etiam per ſequens miraculum diuinitus indicatum videtur, quum petræ ſciſſæ ſcribuntur: duriciam nimirum cordis noſtri frangi, & molliri, quando Chriſto commorimur, vel certè repræſentatio fuit Iudæorum, quò ſic hi conuincerentur ipſis petris, & ſaxis duriores. Nonnulli putant ſignum fuiſſe Chriſti, qui petra in Scripturis appellatur, lacerati, paſsi, & mortui.

Quartò monumenta aperta ſunt, quod ipſum quoq; myſticè idem vult cum ſuperioribus,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

bus, nimirum extremo tempore, cùm vis paſſionis, & mortis Chriſti plenè ſe proferet, futurum, vt fœtida noſtra corda non amplius lateant, ſed nobis innoteſcant, vtq; ſic propriam immundiciam tum patefactam videamus, agnoſcamus, deploremus, & ſimul expurgare paulatim annitamur. Iuxta literam tamen Chriſtum eſſe mortis victorem indicat.

Poſtremò & multi ſanctorum ex apertis monumentis, non tamen ante Chriſti reſurrectionem, prodierunt. Vnde & præterquam, quod manifeſtum de Chriſti victoria contra mortem, & infernum de futura generali corporum reſuſcitatione teſtimonium tulerunt, id quoq; diſcimus, quòd Chriſtus ſit reſurrectio, & vita, & quòd ſit primitiæ dormientium, videlicet, in reſurgendo vnà cum corporibus ad vitam æternam, etſi enim aperta monumenta ſunt in morte Chriſti, ſancti tamen ante Chriſtum excitatum, non prodierunt: ſed poſtquam ille dux, & Princeps noſter præceſſit, conſpecti ſunt à multis in ſancta ciuitate, videlicet, Ieruſalem, quæ ſancta vocari ſolet propter templi religionem, & quòd regia vrbs Dauidis, adeoq; Eccleſiæ, cœleſtis Ieruſalem typus eſſet. Vnde & addubito, anne magis Euangeliſta Matthæus nomine ſanctæ ciuitatis, Eccleſiam, & cœtum ſan-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ctorum diſcipulorum Chriſti, quàm lapideam illam ciuitatem interfectricem Chriſti, & Apoſtolorum ſignificet. Vt Apoc. 21. & Auguſtinus de ciuitate Dei. Nam in hac ſancta ciuitate tantùm apparent & agnoſcuntur illæ nouæ creaturæ, videlicet regenerati Spiritu conſummati Chriſti, de quibus in fine ſuperioris libri.

Centurio autem, qui aſtabat ex aduerſo illi, & qui cum eo erant, cuſtodientes Ieſum, videntes, quòd ſic, emiſſo clamore, expiraſſet, viſoq; terræmotu, & his, quæ facta fuerant, timuerunt valde, & glorificauerunt Deum, dicentes: Verè hic homo iuſtus erat, & Filius Dei.

PRimùm his præfigurari videmus gentium ad Euangelium, & ſalutem per mortem Chriſti vocationem. Nam Centurio cum ſuis militibus, Romani, adeoq; gentiles erant. Quare cùm Iudæi Chriſtum abnegarunt, & reſpuerunt, neceſſe fuit inſeri Chriſto gentes, ne Regno, & populo careret is, cui dictum eſt: Poſui te in lucem gentium, vt ſis ſalus mea vſq; ad fines terræ. Item Pſal. 2: Pete, & dabo tibi gentes

tes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

tes hæreditatem tuam, & poſſeßionem tuam terminos terræ. Sicut itaq; ſupra de latrone conuerſo dictum eſt, quòd Chriſtum, Regem, verumq; Meßiam ſit confeſſus, adeoq; veluti protomartyr Chriſti factus: ita nunc videmus hos milites eiuſdem reddi confeſſores, dum eum non modo iuſtum, & innocentem, Deoq; charum, ſed & filium Dei ſua ſententia pronunciant.

Deinde repræſentat nobis hæc hiſtoria, quales nam plærunq; ſint, qui Chriſti diuinitatem agnoſcant, & fateantur, videlicet non ſapientes, et prudentes huius mundi, ſed rudes & ſimplices, qui nulla iuſticiæ, ſcientiæue opinione turgent, vt ipſe Dominus in ſua ad Patrem gratiarum actione, Matth. 11. teſtatur. Vnde gentiles & milites hoc loco ſcire, & fateri ſcribuntur, quod Pontificum, Scribarum & Phariſæorum nullus agnouit: quia ſcientia, ferocitas & quæuis hominum ſecuritas, Deo maximè eſt aduerſa:

Tertiò, notandus eſt hic in vera conuerſione progreſſus: initio, de Chriſti doctrina nonnihil audiuerunt, hanc ipſis confirmarunt ſigna miraculoſa, Sol obſcuratus, terræmotus, clamor in morte eius, & alia. Hinc timorem

concipiunt, quo primæ pœnitentiæ pars exprimitur: Mox etiam Deum glorificarunt, vt fide, qua ſola Deus verè glorificatur, vacuos haudquaquam intelligas. Tandem & fidei fructum conſpicimus, nimirum Chriſti confeßionem, & celebrationem, ſeu prædicationem inter homines.

Et omnes turbæ, quæ ſimul acceſſerant ad ſpectaculum iſtud, & viderant, quæ contingebant, percutientes pectora ſua reuertebantur.

VIdemus & hìc illud, quòd paulò antè diximus, à morte ſtatim Chriſtum diuinitus glorificari cœpiſſe: Glorificatur autem non à Principibus huius ſæculi, ſed à vulgaribus hominibus, quos elegit Deus, vt magnos, & ſublimes, iuſtos, potentes, eruditos, & ſapientes pudefaciat, vt omnis, qui gloriatur, in Domino glorietur, nouit enim cogitationes prudentum, quòd ſint vanæ. Quare paucis aliquot ferè tantùm de turba fit hæc gratia per ingentem Dei bonitatē, vt Chriſtū agnoſcant, vereq; ad ipſum, ſcindentes non veſtimenta, ſed corda ſua, conuertantur, & ita ſalutem æternam inueniant.

Stabant

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Stabant ibi omnes noti eius procul, & mulieres, quæ ſecutæ fuerant eum à Galilæa, hæc videntes, inter quos erat Maria Magdalena, & Maria Iacobi parui, & Ioſæ mater, & Salome mater filiorum Zebedæi, quæ etiam cùm eſſent in Galilæa ſecutæ fuerant illum, & miniſtrauerant ei, aliæq́ complures, quæ ſimul à Galilæa aſcenderant cum eo Hieroſolymam.

IN his notis, et mulieribus (quæ prius in Galilæa verſanti Domino miniſtrauerant, & huc vſque ſecutæ eum erant) lucet adhuc aliqua fides, qua nec à mundo condemnatum deſerant, ſtant tamen procul, ac Dominum in cruce ſolum relinquunt: quia ſolus is humani generis Redemptor eſſe debuit, Sicut inquit in cantico Moſis, Deut. 32: Solus ego feci, & non fuit mecum Deus alienus. Huc allegant & illud Eſa. 63: Torcular calcaui ſolus, & de gente non erat vir mecum. Atq; ex hac narratione completum quoq; videmus, quod Dauid conqueritur Pſal. 38: Amici mei, & proximi mei è re-

gione plagæ meæ ſteterunt, dum ipſe videlicet ſolus opus noſtræ ſalutis exequeretur, vt ſolum eum, & non alium ſimul inuocemus, & pro redemptore noſtro celebremus. Quænam fuerint hæ mulieres, & qui diſcipuli, quorum fit in textu mentio, ſatis clarum eſſe iudico.

Iudæi ergò, quoniam paraſceue erat, vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus ille dies Sabbathi) rogabant Pilatum, vt frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergò milites, et primi quidē fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus eſt cum eo. Ad Ieſum autem cùm veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: Sed vnus militum lancea latus eius fodit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit, teſtimonium perhibuit, et ille ſcit, quòd vera dicit, vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, vt Scriptura imple-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et rurſus alia Scriptura dicit: Viderunt, in quem pupugerunt.

HÆc eſt cauſa, cur adeò feſtinarint Iudæi in Chriſto crucifigendo, quod videlicet paraſceue eſſet, id eſt, præparatio, nempe dies ille, quo omnia, quæ ad feſtum iamiam inchoandum requirebantur, præparanda erant. Quod feſtum prope totius anni celeberrimum pollui cadaueribus inſepultis nolebant, præſertim cùm & in lege ſcriptum eſſet Deut. 21: Quando peccauerit peccatum homo, quod morte plectendum eſt, & adiudicatus morti, appenſus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, ſed in eadem die ſepelietur &c. Hoc itaq; ceremoniale Dei præceptum anxiè ſeruare ſtudent, præſertim ne feſtum imminens polluatur: at hominem ex odio, vel ſimili prauo affectu trucidare nihil verentur, vt ferè præpoſtera eſt profanorum hominum religio, dum culicem colant, at camelum deglutiunt. Quemadmodum omnibus ætatibus fieri videmus. Præterea conſtat ex hac hiſtoria, quòd nihil eorum, quæ circa Chriſtũ geſta ſunt, temerè acciderit ſed, quòd omnia diuino nutu gubernata ſint, vt Scripturæ Prophetarum impleren-

plerentur: & ,vt veritatem in Eccleſia tandem reuelandam clarius denuò præfigurarent. Hinc latronibus quidem crura franguntur, vt mors ijs acceleretur, At Chriſto, quem inueniunt iam antea mortuum,crura nō frangunt, vt ita præmiſſo typo veteris Agni Paſchalis (cuius oſſa non frangebantur, vti ſcriptum eſt Exod. 12: Os non confringes ex eo) reſponderet. Significatum eſt autem illo typo,& hoc antitypo, quòd & Eccleſia,licet mortificari carne,ferreq́; plurima aduerſa cum Chriſto cogeretur: tamen Chriſti Spiritum, vitam, & eſſentiam illæſam, & velut infractam eſſet ſibi conſeruatura. Hinc & vnus militum lancea Chriſti latus aperit, vt ſententiæ Zachariæ, cap. 12. ſatisfiat, vbi ſic loquitur Chriſtus: Et viderunt ad me, quem conpunxerunt,vt ſimul & Adami typus compleatur. Nam vt Adamo dormienti latus apertum, & ex eo coſta erepta, & in mulierē extructa eſt: ita planè Chriſto nunc mortis dormienti ſomnū, aperitur latus,& ex eo fluunt Sacramenta,quibus ei exædificanda ſit Eccleſia. Fluxerunt enim ex latere Chriſti ſanguis & aqua, in quo miraculo per ſanguinem ſacram Cœnam intelligere ſolent,per aquam Baptiſmum. Quod ſiquidem fuerit miraculoſum hoc factum, dubium nō eſt,nam ex homine non hydropico ſæpè quidem

ſanguis tenuis, & aquoſus, at nunquam aqua pura ſeorſim à ſanguine naturaliter effluit. Vnde hoc facto de quinq; his admonemur. Primùm, quòd Chriſtus fuerit non tantùm homo, ſed ſimul etiam Deus, qui miraculoſè præter & contra naturæ curſum arcana ſua myſteria depingere potuerit. Deinde, quòd præfiguratus ſit Chriſtus illa petra, qua percuſſa ſitientibus Iſraëlitis aqua promanauit, vt Chriſtus percuſſus, id eſt, occiſus hîc profert, non modo ſanguinem, ſed etiam aquam, qua ſitis eorum, qui ſub onere peccati ſudant, reſtinguatur. Tertiò, vt ad Zachariæ ſententiã & Adami typum, de quibus modo dictum eſt, reſpiceremus. Quartò, vt originem quoq; Sacramentorum Eccleſiæ, Chriſti mortem eſſe cognoſceremus. Inſtituta ſiquidem ſunt, vt annunciemus mortem Domini donec venerit. Quintò, non obſcurè & id ſignificari videtur, quomodo vera conuerſio procedat in ijs, qui Chriſtum pupugerunt, hoc eſt, qui contra Chriſtum peccarunt, vel qui peccata ſua contra Chriſtum commiſſa iam agnoſcunt, nimirum ijs initio ſanguis affluit, id eſt, verſari coguntur in magnis calamitatibus, & doloribus: at mox etiam apparet aqua refrigerij, quia Deus non punit, vt perdat, ſed vulnerat, vt ſanet, vti ſcriptum eſt: Viuo ego nolo mortem peccatoris, ſed vt conuer-

tatur, & viuat. Propter hæc, & plura fortè myſteria tàm ſollicitè Iohannes affirmat id coràm à ſe viſum, nec falsò narrari, magniq; rem eſſe momenti, vt nos ita factum eſſe credamus.

Poſt hæc autem cùm veſpera eſſet facta; quoniam erat paraſceue, quæ præcedit Sabbathum, venit Ioſeph Arimathienſis, oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, vir diues, ſenator & bonus, & iuſtus, qui non conſenſerat conſilio, & facto eorum. Erat enim & ipſe expectans Regnum Dei. nam & diſcipulus erat Ieſu, ſed occultus propter metum Iudæorum: hic ſumpta audacia, ingreſſus eſt ad Pilatum, & petijt ab eo, vt tolleret corpus Ieſu.

QVod antea ſubinde dictum eſt, à morte Chriſtũ diuinitus glorificari cœpiſſe, quia miracula multa (de quibus prius) conſpecta, & homines eius iam innocentiam ac diuinitatem percuſsis pectoribus ſuis teſtati ſunt: Id hîc

nunc

nunc proponitur clarius. Quare huc reſpexiſſe meritò creditur Eſaias cap. 11. cùm inquit: Et erit requies eius glorioſa. Per mortem enim ignominioſam, vt apud Lucam ipſe dicit, oportuit Chriſtum intrare, non in maiorem ignominiam, ſed in gloriam ſuam: qua videlicet ignominia omnis abſtergeretur. Atque hinc iam non tantùm infirmæ mulieres, aliíq; homines abiecti, ſed & nobiles, & magnæ autoritatis viri (quales deſcribuntur hîc Ioſeph Arimathienſis & Nicodemus) curam ſepeliendi eum ſuſcipiunt. Ac Ioſeph quidem valde diligenter hîc ab Euangeliſtis deſcribitur. Quòd ab Arimathia fuerit oriundus, quòd diues, quòd ſenator, quòd honeſtus, & iuſtus, quòd non conſenſerit conſilio, & facto Iudæorum, in Ieſu nimirum crucifigendo, ſed quòd cum alijs expectauerit regnum Dei per Chriſtum annunciatum, vt & ipſe Chriſti diſcipulus, quanquam occultus, idq; propter metum Iudæorum, quæ ſingula ideò tàm diligenter annotantur. Primùm, vt ſciamus (quanquam regnum cœlorum tantùm eorũ eſſe pronunciatur, qui ſunt pauperes ſpiritu: ſicut & Paulus 1. Corinth. 1. dicit, non multos electos eſſe nobiles, potentes, et ſapientes qui ſaluentur, ſed & ferè tantùm humiles, egenos, & imperitos, vt ſapientes, & potentes pudefi-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ant) diuites tamen, & potentes omnes non prorſus à Deo reiectos eſſe, quum verè ad Chriſtum conuerti dignantur. Iubet enim Paulus 1. Timo. 2. vt etiam pro regibus oremus, & addit ſententia generali, velle Deum, vt omnes homines ſalui fiant, ſicut & alibi Chriſtus docet, poßibile eſſe Deo, vt diuites cameli gibbum deponant, & per foramen acus, id eſt, per anguſtam viam intrent. Deinde ne graſſante mundi tyrannide, pijsq́ ſe palàm nuſquam in publico declarantibus deſperemus de Eccleſiæ conſeruatione, quaſi nulli tum relicti, vel manſuri ſint verè pij: ſed mente recurramus ad oraculum Eliæ Prophetæ dictum à Deo: Reliqui mihi ſeptem milia virorum, qui non curuarunt genu Baal.

Diſcimus etiam hinc, Deum non eſſe tàm durum, & rigidum, vt infirmos, qui nondum vitæ periculum ſubire ſuſtinent, à ſe ſtatim reijciat, ac damnet: ſed fert imbecillitatem noſtram, vt paulatim excreſcamus: Imò nec vtile eſt, in pericula ſe temerè conijcere, dum nōdum ſatis in fide confirmati ſumus, præſertim, cùm fieri poſſit, vt quiſpiam propter veram doctrinam ſuum corpus igni tradat, & nihilominus ab æterna ſalute, ſi videlicet charitate vacuus eſt, excludatur, vt Paulus ait 1. Corinth. 13. Quare ſi quis

prudenter & quietè vixerit, & apud ſe ſuosq́; tantùm latenter pietatē exercuerit, ne ad confeſſionis neceſsitatem, adeoq́; vitæ periculum, dum nondum ſibi mortuus eſt, adigatur, à Chriſto minimè damnatur, nec ex numero diſcipulorum eius reijcitur.

Quartò, tamen hæc timiditas corrigenda paulatim, et vincenda eſt, nempè tum, cùm Chriſtus in nobis mortuus eſt, hoc eſt, quando nos cum Chriſto nobis, propriæq́; voluntati, & concupiſcentiæ mortui ſumus. Vt nunc demum Ioſephus hic, & Nicodemus, Chriſto videlicet mortuo, fiduciam ſumunt, & in publicum ſe dant, vt Chriſti corpus honeſtè ſepeliant. Neque enim exiguum periculum erat, Pilatum pro Chriſto tanquam iuſto, & innocente ſepeliendo, quem ille damnauerat, accedere: ſed fides, & viua dilectio, quum plenè conceptæ ſunt, nullis detinentur impedimentis.

PIlatus autem admiratus eſt, ſi iam mortuus eſſet, & accerſito ad ſe Centurione, interrogauit illum, an iamdudum fuiſſet mortuus. Et cognita re ex Centurione, donauit corpus Ieſu ipſi Ioſeph, iubens reddi illum.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Pilatus admiratur Chriſtum iam eſſe mortuum, vel, quòd eum vſitatis miraculis euaſurum eſſe ſuſpicaretur, vel potius, quòd homines in cruce tàm citò non ſoleant expirare, ſicut & paulò antè narratum eſt, latronibus nondum extinctis, quo citius extinguerentur, eſſe crura fracta, ſed Chriſtus aliquanto citius expiraſſe credendus eſt, non tantùm propter tot verbera, flagella, vulnera, potumq́ aceti, nec etiam, quòd imbecillioris fuerit naturæ, ſed imprimis miraculoſè, quia ſicut inquit Iohan. 10: Poteſtatem habuit animam ſeu vitam ſuam deponendi, ſicut habuit poteſtatem eandem, cùm voluit, vt in die tertio, recipiendi. probauit igitur et hoc modo ſe ſupra merum hominem fuiſſe. Iam Pilatus cùm intellexit per Centurionem, Chriſtum eſſe mortuum, quod admiratione dignum iudicabat, huic Ioſepho gratificatur, & ei corpus Chriſti ſepeliendum donat, præſertim, cum & ipſe per aliorum importunitatem, eum condemnauerat, præter animi ſui ſententiam, & cum in mortui corpore nullum videretur effugij periculum, iam ſupplicio peracto.

Et Ioſeph mercatus eſt ſindonem. Venit autem & Nicodemus,

qui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

qui venerat primùm ad Ieſum nocte, ferens mixturam myrrhæ, & aloes ad libras fermè centum. Acceperunt ergò corpus Ieſu depoſitum, & inuol-



uerunt illud in ſindone munda, obiunxeruntq́ lintheis, cum aromatibus: ſicut mos eſt Iudæis ſepelire.

IVdæi nempè ditiores accuratè ſuorum corpora ſepeliri curabant, alligantes videlicet hic

illic

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

illic membratim ijs in lintheis precioſa aromata, myrrham, & aloen, quo in longum tempus integra corpora conſeruarentur, idq́ in monumentum, & certitudinem futuræ reſurrectionis. Hanc honeſtam conſuetudinem ſequuntur hîc etiam Ioſeph & Nicodemus in Chriſti corpore ſepeliendo. Conſideranda ſunt autem hinc nobis hæc quatuor: Primùm: laudabilem eſſe conſuetudinem, pios defunctos honeſtæ ſepulturæ tradere in conſolationem viuorum, & ad confirmandum articuli ſymboli noſtri de reſurrectione corporum. Secundò, Chriſtum à morte cœpiſſe glorificari, & iuxta Eſa. Cap. 11. teſtimonium, requiem & ſepulchrum eius fuiſſe glorioſum, vt ſupra quoq; dictum. Tertiò, commendatur in his viris Ioſeph & Nicodemo non tantùm fraterna charitas, qua hominem ſanctum, exemplo veteris Tobiæ ſepelire laborauerint, multumq́ huc inſumpſerint, ſed etiam fides in Chriſtum, quem vel mortuum honorandum duxerunt, quia ſcilicet ſpem reſurrectionis eius (de qua & ipſi procul dubio nonnihil audiuerant, quum eſſent eius diſcipuli, licet occulti propter metum Iudæorum) nondum prorſus abiecerant, hinc aromatis eius corpus condiunt, vt tanto diutius illæſum contra putrefactionem ſeruetur. Quartò, quod præcipuum eſt, factum hoc

totum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

totum conſilio,nutuq́,diuino, qui vel per ignorantes impleri voluit id, quod Pſal. 16. per Prophetam prædixerat, inquiens: *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem:* ſicut etiam ante Cœnam legimus, quòd ipſe Chriſtus, mulierem, quæ caput eius precioſo nardo vnxerat,contra Iudam, & aliòs quoſdam è diſcipulis defenderit, hac ratione, quod id in ſepulturam ſuam fecerat, vel,quòd ita ſepulturam ſuam præuenerat, quoniam videlicet in morte temporis anguſtia fortè non accuratè ſatis eſſet vngendus, & tamen ſufficiens præſidium contra putrefactionem deberet addi corpori, quod nullo modo,iuxta prophetiam corrumpi debuit.

Erat autem in eo loco, vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum Ioſeph nouum,quod is exciderat in petra, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergò, quia paraſceue erat Iudæorum, & Sabbathum illuceſcebat,quod in propinquo eſſet monumentum, poſuerunt Ieſum,



C. XVIII & aduoluto ingente ſaxo ad oſtium monumenti, abierunt.

VT glorioſum Chriſti ſepulchrum Euangeliſtæ deſcribant, multas huic pericopæ circumſtantias interſeruerunt, quæ ſeorſim notandæ ſunt. Prima eſt de loco, quòd videlicet in horto fuerit, quo monemur ad veterem hortum, (in quo primi parentes in mortem lapſi ſunt) reſpicere. nam ideo neceſſe fuit in horto ſepeliri Dominum, vt in horto vita noſtra cum Chriſto reſurgeret, quæ in horto per Adami lapſum, veluti

ſepulta

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ſepulta fuit. Deinde ponitur perſona, cuius fuit monumentum, nempe Ioſeph, qui diues & honeſtus ſenator erat, vt ſic gloria ſepulturæ eius etiam humano iudicio notetur. Tertiò exciſum erat in petra noua. mundum enim Chriſti corpus mundicies hæc decebat. Quartò nullus in eo poſitus fuerat, quia nullus abſq; peccato, ſicut ipſe mortuus erat, & ne alij Spiritus ex eo prodiſſe ſub nomine Chriſti fingi poſſent. Quintò tempus quoque ſignificatur, quòd paraſceue nimirum eſſet, & iam Sabbathũ illuceſceret, hoc eſt, inchoaretur, nam non manè, ſed veſpertino tempore diei præcedentis id velut illuceſcere dicebatur, quòd lux quædã, & læticia ſpiritualis ex eo ſperaretur. Quod ipſum etiam admodum conueniebat, vt inchoante Sabbatho Chriſtus in ſepulchro ſuo reponeretur, ibiq; per totum Sabbathum quieſceret, vti Deus quoq; die ſeptima quieuit ab omnibus operibus ſuis, & vti nos etiam in fine, non dico, ſeptimanæ, ſed mundi, quieſcemus à noſtris operibus, vt in nobis Deus per Spiritum ſuum ſanctum operetur. Denique ſaxum ingens ad oſtium monumenti voluitur, ne ſcilicet à quouis prætereuntium illudi, contaminari vel etiam auferri poſſet.

Viden-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Videntur tamen hæc mihi ſpiritualem quoque ſenſum non inſuauiter ſubminiſtrare, ſi per monumentum hoc intelligatur ſacra Scriptura: Nam in hac veluti mortuum Chriſti corpus, frigida nimirum, & externa Chriſti ſcientia recondita latet, quæ non ineptè mortuo corpori, Spiritus ipſius reſpectu, comparatur, Quoniam humanis viribus, & libero arbitrio nemo viuum, & ſalutare quicquam è Scriptura perceperit. Primùm, hoc monumentum in horto collocatur, quia ſacra Scriptura propriè pertinet ad Eccleſiam: quatenus hæc horto per verbi miniſterium veluti circumſepto comparatur, id eſt, quatenus nondum conſummata eſt in vera dilectione. 2. Ioſeph, & Nicodemus figurant Prophetas, & Apoſtolos, quorum ea miniſterio propoſita eſt. 3. Exciſa autem in petra dicitur, quia tota fundata eſt in Chriſto: 4. Quare petra hæc & noua vocatur, & nullius alterius demortui corpore polluta, quòd ſcilicet nihil præter Chriſtum in Scriptura quærendum ſit. 5. Prætereà paraſceue dicitur, & inchoatio Sabbathi, quando ſepelitur corpus Chriſti, quia per lectionem & meditationem externæ Scripturæ præparamus nos, vt expeditè paulò pòſt ſpirituale Sabbathum digna Spiritus, animiq; tranquillitate per omnem æternitatem peragendum incipiamus.

mus. Porrò ſaxum ingens oſtio monumenti obuolutum indicat cæcitatem noſtræ carnis, qua impedimur, ne veri quicquam de Chriſto cognoſcamus, dum non per Chriſti Spiritum à nobis deuoluta fuerit.

Erat autem ibi Maria Magdalena, & Maria Ioſe ſedentes contra ſepulchrum, & aliæ mulieres, quæ & ipſæ venerant cum Ieſu de Galilæa, ſpectantes, vbi & quemadmodum poſitum erat corpus eius. Reuerſæ verò parauerunt aromata, & vnguenta. Ac Sabbatho quidem quieuerunt ſecundum præceptum.

HÆ Mariæ quoq; non aliter fidem, ac dilectionem ſuam erga Dominum declarant, quàm Ioſeph, & Nicodemus, eumq; hoc ſuo facto planè teſtantur à morte reſuſcitandum eſſe, ſi non iam ſtatim intra triduum, ſicuti fortè credebant, licet fide nimis imbecilli, tamen extremo ſaltẽ die cum omnibus ſanctis. Ideo tanquã pio, dignoq; memoria poſteritatis viro corpus inungere, condireq; aromatis, ne facile corrumpatur, ſatagunt. Vt autem id liceat, ſedent è regione

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ſepulchri, notantes locum, in quo Chriſtus poſitus eſt, vt præterito Sabbathi die requirentes cum aromatis & vnguentis id agnoſcere & inuenire poßint. Quæ notandi locum diligentia diuinitus quoq; mulieribus inſpirata eſt, ne poſtea corpore Chriſti non inuento, ſuſpicarentur illud in alio quopiam ſepulchro poſitum fuiſſe. Quòd autem in Sabbatho quieſcant iuxta præceptum, nempe Dei, teſtatur eas religioſas fuiſſe, ac diuinæ legis obſeruantes. Nam de abrogatione ceremoniarum legalium nondum tum ſatis erant inſtitutæ. Quam diligentiam viuendi ſecundum diuini mandati præſcriptum nobis etiam in imitationem propoſitam eſſe ſciamus.

Porrò ſpiritualiter hæ mulieres, quæ ſepulchri locum notant, delineant verbi miniſtros illos, qui Scripturam explicare ſtudent, dantq; operam, vt noticia Chriſti veluti condita ſuis aromatis, & vnguentis, id eſt, ſuis commentationibus, & illuſtrationibus diu ſyncera & incorrupta maneat. Ideo diligenter conſiderant, quibus in locis, ac ſententijs illud Chriſti corpus, veluti ſepultum lateat, at, priuſquam vllus homo, plenè ſcripturam explicuerit, inuenietur Chriſtus reſurrexiſſe & è ſepulchro ſeu Scriptura receßiſſe, Quando dicet: quid quæritis viuentem apud mortuos? ſurrexit, non eſt hîc. Ecce locus,

cus, vbi poſuerant eum: Ite, annunciate diſcipulis eius & Petro, quòd præcedat vos in Galilæam, ibi eum videbitis, vti dixit vobis. Quæ omnia ſignificant in corde tandem verè ad Chriſti Spiritum conuerſo, non in Scriptura Chriſtum quærendum tum, & inueniendum eſſe.

Poſtera die, quæ ſequitur paraſceuen, conuenerunt principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum dicentes: Domine, recordati ſumus, quòd impoſtor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam. Iube ergò muniri ſepulchrum vſq; in diem tertium, ne quando veniant diſcipuli eius, & furentur eum, dicantq; plebi: Surrexit à mortuis, & erit nouiſſimus error peior illo priore.

IAm eſt magnus ille Sabbathi dies: Nam is poſt paraſceuen proximè ſequebatur, & nihilominus audent hypocritæ curam illam de ſepulchro Chriſti muniendo ſuſcipere, quiq; Domino obiecerant Sabbathi profanationem, quum vnico verbo totum hominem ſanaſſet, nunc hac ope-

roſa cura, ac diſcurſu ſuo nihil peccare videri volunt. Odio enim, & inuidia iudicium eorum excæcatũ erat. Deinde maliciam ſuam & hac ratione patefaciunt, quòd nunc demum fatentur ſe intelligere, quòd Chriſtus de morte, & reſurrectione ſua locutus eſſet in dicto, quod prius, vt blaſphemum calumniati erant: Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud. Ita ſemper ad ſuum propoſitum Eccleſiæ dicta torquent aduerſarij, piosq́ vel contra conſcientiam opprimere ſtudent. Neq; conſilio hoc Iudæi Chriſto nocuerunt, imò multò magis illuſtrarunt eius gloriam: & ſuam pertinaciam in incredulitate reddiderunt inexcuſabilem. Nunc enim bona conſcientia ſtatuere nullo modo poſſunt, quod alioqui forte potuiſſent, nempè Chriſti corpus à diſcipulis furto ſublatum eſſe, cum cuſtodes ipſi adhibuerint, quibus inſcijs nihil certè diſcipuli facere potuerunt, ne dicam, quod hi cuſtodes etiam ſint ipſis teſtes de Chriſti reſurrectione: tametſi pecunia ſe corrumpi permiſerunt. Talibus enim concionatoribus digni ſunt reprobi, quo ſimul & dux, & qui ducuntur, excæcati ruant in foueam æternæ damnationis.

Conſiderandum hic etiam, quod Chriſtum ſeductorem, & eius doctrinam, vel fidem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

in eum errorem appellent Phariſæi, quemadmodum inquit Paulus: Prædicamus Chriſtum, Iudæis quidem ſcandalum, ac gentibus ſtultitiam, at vocatis Iudæis ſimul, & gentibus Dei potentiam, & Dei ſapientiam. *Quia ſtultitia Dei ſapientior eſt quauis mundana ſapientia &c.* Quia enim ipſi praui ſunt, & ſe rectos iudicant, omnes cum ipſis non conuenientes prauos pronunciant. Nec in hoc falluntur, quòd Chriſti doctrinam & fidem, quam errorem vocant per ipſius reſurrectionẽ timent magis ampliandam, & latius propagandam eſſe. Quin & ipſorum error, quo Chriſtum pro vero Meſsia noluerunt agnoſcere, maior factus eſt reuera per Chriſti reſurrectionem, quum nec eam per ſuos ipſorum cuſtodes annunciatam crediderint, ſed contra conſcientiam, data cuſtodibus pecunia, ſupprimere ſtuduerint. Id enim longè grauius eſt, quàm Chriſtum ex ignorantia crucifixiſſe.

Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite, & munite, ſicut ſcitis. illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum obſignato lapide, adhibitis cuſtodibus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Pilatus hanc Iudæorum petitionem iuſtam eſſe putat, ac dat ijs poteſtatem quàm accuratiſsimè ſepulchrum cuſtodiendi. Significatur pulchrè per hanc hiſtoriolam iuxta ſenſum arcanū, quo modo ſemper hypocritæ Scripturam (quam ſepulchri figura paulò antè latius diximus intelligi) cuſtodiant, per ſuos miniſtros, humanitus nimirum doctos, ne verè pij, Chriſti noticiam ex ea veluti ſuffurentur. Volunt enim ſemper in Scripturæ litera Chriſtum quærendum eſſe, nec vnquam ad Spiritum, & veritatem ſuſpicere concedunt, ſed inuanū laborant. Siquidem ſuo tempore vel maiore cum gloria, reſurget, vt neque hoc Iudæorum conſilium fuit contra Chriſtum, ſed reuera gloriam, & veritatem eius plurimum certificauit, & illuſtrauit. Iam enim nullo modo Chriſtianis obijcere poſſunt, quòd furati ſint corpus Domini, cùm id proprij ipſorum miniſtri diligenter cuſtodierint etiam obſeratum, & non ſua mole tantùm, ſed & clauſtro, & ſigillo, cuſtodumq́ vigilantia ac ſtrenuitate ſaxum illud ingens eſſet immobile. Sed Dominus, vt à morte teneri nequit, ita facile & ſaxum illud, & quicquid prætereà fuerit impedimentorum, diuinam ſuam exerens potentiam, eludet, & ſuperabit, quando tem-

do tem-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

do tempus ad hoc ab æterno præfinitum illuceſcet: interim quieſcente logo, ſeſe humiliat, vt nos exaltet, & ſecum ad dexteram æterni Patris, & glorioſi Dei in Spiritu ſuo ſancto perducat. Ipſi ſit laus & gloria cum iugi celebratione per omnem æternitatem, Amen.

FINIS.

Soli Deo gloria.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

DE RESVR-
RECTIONE DOMI-
NI QVÆDAM AP-
pendicis loco ſub iecta.



CVM HACTENVS IN PAS-
*ſione Chriſti deſcribenda ſepti-
manã integram inſumpſerimus,
conuenienter præmiſsis nunc &
octauus dies, qui ſæpè quoq; no-
minatur in Scripturis, & ad nouam ſanctorum
vitam referri ſolet, cum illuſtriſsima reſur-
rectio-*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



rectionis Chriſti doctrina ſubiungendus eſſe videtur. Vt enim feſta ſolennia non ante diem octauum impletum finita cenſebantur, ita Eccleſiæ quoq; paſſio, & mors eſt mutilum quid, vbi reſuſcitatio ad nouam & æternam vitam ei non adiungitur. Siquidem baptizamur in mortem Chriſti, non vt in morte perpetua maneamus, verum vt hac via cum eo ſimul & glorificemur. Addemus igitur his pauca quædam de Chriſti reſurrectione, non vt integer ſit tractatus, (id enim eſt minus neceſſarium, cùm de paſſione loqui tantùm inſtituerimus) verùm ne lector pius nihil prorſus videat, in quem finem crux Eccleſiæ ferenda ſit. Dicemus autem breuiſſimè de his 3. locis.

I. De certitudine reſurrectionis Chriſti.

II. De fructu, & meditatione reſurrectionis Chriſti.

III. De allegoria hiſtoriæ.

DE PRIMO LOCO.

QVòd verè Dominus à morte ſit excitatus, his quinque rationibus omnino confirmamur. Primùm, quoniam id certò prædictum fuit in Prophetis, vt Eſa. 25: Præcipitabit mortem in ſempiternum &c. cum quo conuenit & illud Hoſe. 13: Ero mors tua ô mors, & morſus tuus inferne. Item, Eſa. 53: De anguſtia

& iudicio ſublatus eſt, generationem eius quis enarrabit? Et mox: Si poſuerit vt peccatum animam ſuam, videbit ſemen longæuum. Item Hoſ. 6: Viuificabit nos poſt duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos. Cùm enim ipſe poſt biduum à morte ſua reſurrexit, virtute ſua ſimul omnes pios ab æterna morte ſecum excitauit. His addatur illud Pſalmi 16. quod ab Apoſtolis Petro & Paulo toties in hanc ſententiam eſt citatum: Non derelinques animam meam in inferno, nec ſines ſanctum tuum videre corruptionem. Et plurima ſimilia de regno Chriſti, quæ è Pſalmis, & Prophetis, cauſa breuitatis, hîc non aſcribam.

Deinde conſiderentur imagines, in quibus Chriſti reſurrectio præfigurata eſt, quales ſunt: Adam è ſomno poſt Euæ creationem excitatus, Gen. 2. Abel occiſus adhuc loquens, Gen. 4. Eb. 12. Noah poſt inebriationem euigilans Gen. 9. Iſaac à cæde patris diuinitus liberatus Gen. 22. Ioſeph è carcere ad Ægypti gubernationem eductus, Gen. 41. Samſon exurgens media nocte, portasq́ vrbis in qua cuſtodiebatur, ſecum auferens, Iud. 16. Dauid poſt exilium euectus ad Regnum. 2. Reg. 2. et 5. Ionas è uentre cæti poſt triduum euomitus, Ion. 2. Ezechias à morbo lætali ſanatus, & quindecim

inſuper annos vitæ ſuæ adijciendos impetrans, Eſa. 38. &c. Daniel ab ore leonum ſeruatus, Dan. 6. Et ſimiles infinitæ ferè picturæ, quæ ſuauiter inter cætera, Chriſti Domini noſtri futuram à morte reſurrectionem depinxerunt.

Tertiò, nec ipſius Chriſti prædictiones negligendæ ſunt. Cùm enim ea, quæ de morte ſua diu antea prædixit, cum euentu prorſus conueniunt, nihil etiam de ijs dubitandum eſt, in quibus reſuſcitationem ſuam à morte conſtanter ſimul prænunciauit. Sic enim ait Ioh. 2: Soluite templum hoc, & in tribus diebus rurſus illud extruam, & ſic Matth. 12: Non dabitur huic nationi ſignum aliud quàm Ionæ Prophetæ etc. Item 16: Deinceps cœpit Ieſus oſtendere diſcipulis ſuis, quòd oporteret ipſum ire in Ieruſalem, & multa pati à ſenioribus, & Principibus Sacerdotum & Scribis, & occidi, & tertia die reſuſcitari. Item, 27: Nulli dicite viſionē, donec filius hominis à mortuis excitatus fuerit. Item, Lu. 18. Flagellantes occident eum, & tertia die reſurget. Item, Ioh. 14. & 16. ferè continuè. Et Matth. 26: Poſtquā reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Hæc enim cuiuis aperta ſunt.

Quarto loco nunc inſpicienda ſunt ea teſtimonia, quibus Euangeliſtæ Chriſtum verè à mortuis excitatum eſſe teſtantur, quum clarè ſcribunt, multis eum apparuiſſe fidelibus Ma-

riæ ſcilicet Magdalenæ, & alijs mulieribus. Item, Petro, mox duobus euntibus in Emaus. tum reliquis vndecim, inde & Chriſtianis quinquaginta ſimul congregatis, Etiam Iacobo ſeorſim, & ipſi deniq; Paulo. Quin & notanda eſt Apoſtolorum incredulitas, facit enim et hæc ad fidem noſtram confirmandam. Nam, cùm ipſi temerè credere noluerint, & nihilominus de reſurrectione Domini tàm certi facti ſint, vt eius nomine plurimum aduerſitatis non grauatè ſubierint, dubium nobis eſſe nequit, quin euidenter conuicti ſint. Hinc & à Thoma digitis, manibusq; contrectari, & coram omnibus comedere præter naturæ iam immutatæ neceſſitatem, ne ſcrupuli quicquam inhærere poſſit, amplius fidelium animis dignatus eſt.

Vltimo loco certiſſimos etiam nos de reſurrectione Chriſti facit effectus, ſeu efficacia Chriſti. Si enim nihil hîc præter hominem fuiſſet, & in morte manſiſſet, nec publicè verbum eius tàm fœliciter, & latè propagari, contraq; omnes inferorum portas, & vniuerſam huius mundi poteſtatem inuictum eſſe potuiſſet. Nec ita priuatim ſanctorum animos immutaret, vt ei ſoli ſe, & omnia mundi bona poſthabere parati ſint, quod in nulla vnquam ſecta, gente, vel regno compertum eſt. Quapropter & ſectis

omnibus

Omnibus cùm Philoſophorum, tum hæreticorum abolitis, & mundi regnis deſtructis, Eccleſia totum orbem occupauit, atq; in hunc vſq; diem ſalua permanſit, quoniam ſcilicet eius gubernatori, protectoriq; Chriſto Domino à mortuis excitato data eſt omnis poteſtas in cælo, & in terra, ſicut ait, Matth. 28.

DE SECVNDO LOCO.

FRuctus, & meditatio reſurrectionis Chriſti præcipuè conſideranda eſt in dicto Pauli Rom. 4: Traditus eſt pro delictis noſtris, & excitatus propter iuſticiam noſtram. Nam illic vtrunq; docet Apoſtolus, qui mortis, & qui reſurrectionis Chriſti ſit fructus. Vt enim ex morte Chriſti duplex accipimus beneficium, quòd videlicet & pro peccato noſtro ſatisfecerit, lytrũq; perſoluerit, ne poſthac id à Deo fidelibus, tanquam reum quid, ac pœna dignum imputetur: & quòd ipſi quoq; eius inſiti corpori per arcanam Spiritus ipſius vim, qua verè humiliemur, peccato in nobis incipiamus mori, ne nos amplius ad malas actiones externas & internas pro arbitrio ſuo pertrahere poſſit: Ita reſurrectio quoq; Chriſti duplicem fidelibus vtilitatem confert. Siquidem primùm efficit, vt cum Chriſto per eius obedientiam, & iuſticiam, tanquam

verè

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

verè iuſti, vitaq́ noua veſtiti Deo placeamus, & accepti ſimus. Deinde fidelibus hanc Domini noſtri Chriſti reſurrectionem piè meditantibus, poſtquam carnem, ſeu peccatum in ſe mortificare cœperunt, arcana de Spiritu ipſius efficacia ſimul aſpiratur, per quam & ad nouam æternamq́ Spiritus Chriſti vitam velut excitantur, nouamq́ lucem, & Spirituales motus ad veram iuſticiam, puritatem, patientiam, dilectionem, & pacem animo regenerato concipiunt.

Prior autem illa reſurrectionis Dominicæ meditatio deſperationi fortiter opponenda eſt, quando ſancti pauidi, ſuæq́ iniuſticiæ conſpectu turbati meram iram, ſeu horrendum Dei contra peccantes iudicium ob oculos habent, & permetuunt: tum certè talibus neceſſario confugiendum eſt, ac tutò confugi poteſt ad Chriſtum pro nobis mortuum, & excitatum ſeu regnantem, qui ſcilicet ita noſtra peccata gratis deleuerit, & iuſticiam ſuam victorioſè credentibus exhibeat. Hac fide vel contra ſpem in ſpem afflicti dum credunt, omnino tandem refocillabuntur. Poſterior verò meditatio reſurrectionis confirmat, ſeu verificat priorem, eſtq́ carnali ſecuritati, qua fouetur hypocriſis, opponenda. Cùm enim homines in carne ſecuri beneficijs

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Chriſti ſibi blandiuntur, ſeq́; iuſtos, ac Deo charos exiſtimant, cùm nihil ſint minus, ipſiſsimi Deo cenſentur hypocritæ. Quare, ne huc delabamur, neceſſe eſt, vt perpetuò ſimus memores, Chriſtum à mortuis excitatũ eſſe, non vt in peccato viuamus, adeoq́; in æterna morte reuera maneamus, ſed vt vnà cum ipſo per Spiritũ eius ad nouam ſanctam, & æternam vitam excitemur.

Hinc eſt, quòd clamat Apoſtolus Coloſſ. 3: Si ſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt, in dextera Dei ſedens, quæ ſurſum ſunt, ſuperna videlicet, & cœleſtia, nõ terrena ſapite. Et mox: Exuite veterem hominem cum actionibus ſuis, & induite nouum, qui renouatur ad agnitionem ſecundum imaginem eius, qui condidit eum, &c. Item Chriſtus Iohan. 14: Si vado, vt præparem vobis locum, iterum veniam, & aſſumam vos ad meipſum, hoc eſt, ad lucem Spiritum, & indolem meã &c. ac reuera beatus eſt, qui partem habet in hac reſurrectione Chriſti priori. ſuper eum enim ſecunda, nimirũ animæ mors, non habet poteſtatem. ſed ſunt huiuſmodi Sacerdotes Dei & Chriſti &c. vt dicitur Apo. 20. Nos itaque chariſsimi, quicunque veram in Chriſto ſalutem expectamus, demus operam, vt hoc modo Chriſti veritatem, ſeu veram participationem

in

in ipſius eſſentia, ſpiritu & indole ſancta per veram fidem percipiamus, ita nequaquam eius vmbra, vel fiducia literali cum hypocritis decipiendi: ſed cum ſanctis omnibus æternam in ipſo lucem, ſapientiam, iuſticiam, pacem, vitam, & beatitudinem inuenturi, certo certius. Atq; huic reſurrectionis Chriſti meditationi materiam ſufficit vniuerſa ferè Prophetica, & Apoſtolica Scriptura, quam pijs omnibus legendam commendamus. nunc ad allegoriam tranſibimus.

DE TERTIO LOCO.

IN allegoria excutienda percurremus obiter textum in Matthæo primùm, inde ſeorſim in Iohanne. Nam quæ Marcus, & Lucas habent, ad hæc referri poſſunt, nec hîc vlterius, quàm ad primas, & matutinas circa reſurrectionem hiſtorias, de ſepulchro clauſo, de lapide deuoluto, de Angelis, mulieribus, Petro & Iohanne, cuſtodibus &c. progrediemur. Dominica igitur dies hæc, in qua reſurrexit Dominus, depingit æternitatem. Sub huius diluculum Chriſti Spiritus in ſanctis reuelabitur, nempe ſub mundi finem, cum terræmotu ſeu carnis anguſtia magna, quando per Angelum è cœlo deſcendentem, id eſt, per miniſtros Euangelij doctos, & miſſos diuinitus lapis ab oſtio monumenti deuoluetur,

hoc eſt, quando penitior ſacræ Scripturæ carnalibus alioqui clauſæ mens per Chriſti Spiritum aperietur. Et ſuper deuoluto lapide ſedebit Angelus, nimirum illi conſummationis miniſtri quietam ac tranquillam de mortificatione carnis doctrinam proponent: facies Angeli fuit vt fulgur, quia doctrina hæc erit lucis diuinæ pleniſſima. Et veſtis eius, nimirum conuerſatio quoq; miniſtrorum, erit candida ſicut nix, ſancta videlicet, & innocens. Quapropter ita timebunt eos hi cuſtodes, nimirum hypocritici doctores, qui nihil vltra literam volunt, vt mortuorum reddantur ſimiles, hoc eſt, obſtinati quidem in ſuo ſenſu, nullam tamen ſe defendendi viam inuenientes.

Quin circa hoc tempus venient & quædam piæ mulieres (in quibus hîc verè ſancti, ſed humiles, & in priuata vita conſtituti delineantur) ad monumentum, id eſt, ad ſacram ſcripturam, vt in ea mortuum Chriſti corpus honorent, id eſt, vt externam Scripturæ literam legant, vel audiant. Ignorabunt enim adhuc, Chriſtum viuum, nempe iuxta Spiritum, & veritatem inquirendum eſſe. Verùm præter expectationem per hunc Angelum, vtpote per illos conſummationis legatos commonefient, Primùm ne ad inſolitam faciei, ſeu doctrinæ ſuæ lucem, velut ad

ſpectrum Diabolicum exhorreſcant. Deinde, ne Chriſtum iam amplius in ſepulchro Scripturæ, ceu mortuam literam, ſed viuũ in corde ſuo per Spiritum, & veritatem inquirant, his verbis: Nolite vos timere, ſcio enim quòd Ieſum crucifixum quæritis. Nam tales demum ad ſpiritualem Chriſti noticiã, æternamq́ ſalutem peruenire poterunt, qui Chriſtũ crucifixũ quærunt, id eſt, qui Chriſti crucem, & ignominiam ſuſtinere non refugiunt, iuxta dictum Rom. 8: Si cum Chriſto patimur, etiam cum ipſo glorificabimur.

Non eſt hîc) in ſepulchro ſcilicet, hoc eſt, in literali Scriptura. Nam SVRREXIT, id eſt, ſublimiorem de Spiritu ſuo lucem excitauit, ſicut prædixit vobis, etiam in omnibus Prophetis. Venite, videte locum, vbi poſitus erat, ſeu iacebat Dominus: Quoniam & in conſummatione Scripturæ litera nobis legenda quidem erit, ſed non quaſi certò per literam Chriſti Spiritum inuenturis, verum, vt videamus, per quæ media ſuos prioribus temporibus ad Spiritum Deus præparauerit, quanquam tum planè iacuit, id eſt, non tantam fidelibus in litera ſpirauit efficaciam. Poſteà hos emittit etiam, vt citò euntes, id eſt, magno cum ardore, ſtudioq́ alijs hanc exortam in Spiritu Chriſti lucem annuncient, & quòd præcedat eos in Galilæam, id eſt, ad

ad nouam vitam, quodq; illam ibi ſancti regenerati viſuri ſint. Nam Galilæa tranſitum, ſeu deuolutionem Dei ſignificat.

Atq; ſic ocyus à monumento diſcedentes, relicta ſcilicet Scripturæ litera, current ad prædicandum diſcipulis Chriſti, nimirum, omnibus, qui ſe veritati dociles præbent. Et cùm id faciunt, en ipſe Ieſus, hoc eſt, Chriſti Spiritus, & æterna veritas ijs occurrit: Qui enim alium docere laborat, ſeipſum inſtruit. Prædicabit autem ſanctis Chriſti Spiritus læticiam, vt hîc Dominus ait mulieribus: gaudete, quæ tum & pedes, id eſt, affectus eius tenebunt, & adorabunt eum, in Spiritu ſcilicet & veritate conformes ei factæ. Tum & ipſe Spiritus Chriſti coràm eis idem intus, quod antea per miniſtrum audierant, inculcat, vt ſcilicet abſq; timore pijs annuncient, quòd ſit à mortuis excitatus, & hortentur eos, vt ipſum viſuri tranſeant in Galilæã, hoc eſt, verè conuertantur, ſeu regenerentur.

Interim autem, dum ita mulieres, id eſt, humiles, & in priuata vita pij circa Chriſti Spiritum & diſcendum, & docendum occupati erunt, venient & ſepulchri cuſtodes, multi ſcilicet, quibus conſeruatio doctrinæ externæ commiſſa eſt, & veritati teſtimonium perhibebunt, quod ſcilicet Spiritus, non litera viuificet, &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

ſaluet, verum in gratiam potentum, & ad explendam ſuam auariciam, aliasq́; profanas cupiditates vel contra mentem, & conſcientiam ſuam affirmabunt, hanc doctrinam eſſe figmentum diſcipulorum Chriſti, vel verè piorum, quos ipſi pro furibus, hoc eſt, hæreticis habent. At veritas nihilominus ad omnes veræ pietatis amantes perueniet ſuo tempore. Nam diſcipuli quotquot ſunt, proficiſcuntur in Galilæam ad montem, quem ijs Ieſus ordinauerat, nimirum ad Chriſti Spiritum, & indolem ſanctam. Atque illic vident, & adorant eum in veritate. Hactenus de textu Matthæi dictum eſt.

Nunc in Iohanne quoq; primus ille Sabbathi, vel poſt Sabbathum dies refert nouam regenerationis lucem, & conſummationis initium. Hoc itaq; tempore Maria Magdalena (quæ typus hîc eſt humilium ſanctorum in priuata vita peccatum ſuum lugentium, & Chriſtum quærentium in ſacra Scriptura) veniet ad monumentum, verbum ſcilicet Propheticum & Apoſtolicum lectitans, ac meditans manè cùm adhuc erunt tenebræ: cùm nimirum æterna lux & veritas de Spiritu Chriſti nondum erit publicata. Videt tamen iam ipſa lapidem ab oſtio ſepulchri deuolutum, quoniam Chriſtus à morte

reſu-

reſuſcitatus eſt, hoc eſt, conſummationis lux initio ſtatim ſuos radios in ſacram Scripturam emittet, vt Spiritualis hæc à ſanctis cognoſcatur. Id, quum ſancti humiles alijs feſtinanter indicabunt, vt hic Magdalena currit ad Petrum, & Iohannem, hi quoq; celeriter ſepulchrum, id eſt, Scripturam accedent, vt ſcilicet hoc miraculum, quòd ſit ſpiritualis & aperta pijs, contemplentur.

Et notandum, quòd Iohannes, qui celerius cucurrit, non intrauit ſepulchrum, ſed Petrus tardius tandem veniens illud prius ingreſſus eſt, quem tum demum ille ſecutus eſt. Innuitur enim, quòd illa Spiritus Christi lux non inueniatur conatibus aut viribus humanis, at in ſilentio, quiete, & ſpe. Qui ſic myſteria Chriſti ſcrutabuntur in Scriptura, primi ea ſpectare, prædicareq; alijs poterunt. Quanquam potius craſſiores adhuc Scripturæ lectores in his Apoſtolis hoc loco delineantur. Nam neq; mortuum, neq; rediuiuum Chriſtum vident, at linteamina tantum, & ſudarium, quod faciem eius texerat, id eſt, elementarem literam iam conuolutam ſeorſim, & velut antiquatam vident, vnde & hinc aliquo modo credunt, & mentes altius ad Spiritum eleuant: ſed plenam lucem, qualis expectanda eſt, nondum intelligunt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Cæterum humiles pij, qui depinguntur hic in Magdalena, primi clarè eam percipient. Quid itaq; facient hi? nempe manebunt apud ſepulchrum flentes, & quum flebunt, ſe inclinantes proſpectabunt in monumentum, id eſt, cum ingente luctu, ſeu deſiderio, fameq; & ſiti ſpirituali Chriſtum eiuſq; Spiritum quærent humiliter, ſubinde reſpicientes ad interiorem Scripturæ mentem, & ſic videbunt primùm duos Angelos in albis ibi ſedentes, alterum ad caput, alterum ad pedes, vbi poſuerant corpus Ieſu, nempe loco doctrinæ externæ duplicem lucem percipient, videlicet & mirandum ſcientiæ ſpiritualis intellectum, vt Angelum ad caput Ieſu ſedentem: & diuinam cum humilitatis, tum ſanctitatis in Chriſto præoſtenſam indolem, ſeu affectum, tanquam Angelum ſedentem ad Chriſti pedes. Conſpiciuntur in albis Angeli, quoniam ad veram læticiam apparent. Et ſedere ſcribuntur, quòd hinc fideles ad quietem inuitentur. Dicunt itaq; Mariæ: quid fles? Et illa reſpondet: Quia tulerunt Dominum meũ, et neſcio, vbi poſuerunt eum. Ac ſi diceret: quomodo non flerem, quum per hæreſes, & varietatem ſectarũ certã Scripturæ mentem, et indubitatam doctrinam non videam? vel quum promiſſam in Scripturæ litera velut iam flaccescente, Chriſti lucem non inueniam?

Cùm

Cùm autem inter luctum, & illumminationem Deì media velut hæſit aliquandiu, tandem, en, retrorſum verſa, reſpiciet, id eſt, velut oblita ſui, Chriſtum vnum volet, & ſapiet, Atq; ita, cùm à nobis noſtraq; carne penitus auertemur, etiam Chriſtum ſpiritualiter conſpiciemus. Initiò tamen, eum eſſe, plenè ſatis haud agnoſcemus, at citius, eum eſſe, iudicabimus phantaſiam humanam, vel hæreticam deceptionem, quæ nobis eius lucem, & Scripturæ veritatem è conſpectu remouerit. Verùm cùm appellabit nos proprio nomine, cùm ſcilicet humanas à mente noſtra tenebras per ſpiritualem regenerationem abſterget, en, ibi Dominum, ac Magiſtrum noſtrum illum agnoſcemus, & pedes, id eſt, affectum & indolem eius tenebimus.

Quod tamen indiuulsè, ſeu perfectè non licebit nobis antequam Chriſtus ad Patrem in nobis, hoc eſt, antequam nos omni ſenſu carnis exutos ad merè ſpiritualem intellectum, ac diuinam indolem in ſe perduxerit. Interim dicit: noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, ſed vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum &c. In qua ſententia depingitur etiam, qui electis,

& veræ pietatis cupidis cum hac Maria prædicare debeamus, quòd ſcilicet in cœlo, in mente videlicet, & indole, ſeu Spiritu Dei, non in litera vel carne ſit inquirendus. Deſcribuntur autem apud Marcum, & Lucam increduli diſcipuli, quia tales nouiſsimo tempore futuri ferè ſunt verbi miniſtri, nempe mulierum, hoc eſt, humilium ſanctorum, de conſummatione prædicationi non facile credentes &c. Clementiſsimus Deus & nos ex Paterna ſua erga miſeros peccatores beneuolentia per Spiritum ſuum ad hanc ſuam lucem, & veritatem æternam benignè perducat, Amen.

FINIS.

ἡ δόξα τῷ θεῷ.

SVMMA PASSIONIS DOMINICÆ PAVCVLIS VERſibus comprehenſa.

I. ACTVS DE COENA:

PAſchæ inſtāte die uult mortē accedere Chriſtus:
Principibus cupidis quia nardo ſuſtinet ungi,
Venditur á Iuda: cumq́; ultima cœna parata eſt,
Accumbens ueterem prius edit Paſchatis Agnum,
Mox nouum init pactū , corpus quo præbet eden=
Rite ſuū: lauat inde pedes myſteria pingens (dum
Diſcipulis: Iudam ignarum reſipiſcere taxat.
Quin etiam in reliquis tum corripit ambitionem.
Nec uult, præſumat Petrus, quia pugna ſequetur.

II. ACTVS DE HORTO.

Contremit, & mortis terrorem ſentit in horto
Chriſtus, & exudat fundendo uota cruorem:
Angelus è cœlo demiſſus roborat illum:
Tam grauis ira Deum noſtro de crimine preßit:
Diſcipulos dormire dolet, mandatq́; precari:
Oſcula tum Iudas fert inſidioſa Magiſtro:
Percutit enſe Petrus, quem Chriſtus corripit, aurē
Reſtituens Malcho abſciſſam: Tunc hora tenebris
Apta fuit: prius at cadit aduerſaria turba.
Voce ſonante Dei: fugiunt captum inde miniſtri.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

III. ACTVS DE
domo Caiphæ.

Turba prius uinctum ueterano lætior Annæ
Siſtit, Pontificis Caiphæ mox ducit in aulam:
Cui ſua quærenti reſpondet dogmata plebi
Propoſita eſſe palam: Petrus malè uenit in aulam,
Ter Dominum nouiſſe negans: mendacia teſtes
Non tamen apta ſatis contra illum dicere ſurgunt:
Quærenti Caiphæ Chriſtum ſeſe eſſe fatetur:
Ille, toga ſciſſa, poſcit ſuffragia mortis:
Damnatum cedunt reliqui, luduntq́;, ligatum
Manè duces damnandum abigunt, ſiſtuntq́; Pilato.

IIII. ACTVS DE
Prætorio.

Pœnitet hìc ſerò penſurus ab arbore Iudas:
Figulus argenti uice cœmiteria linquit
Hoſpitibus: dignum uincti quærente reatum
Præſide & hæreticum fingunt, & ſeditioſum
Pontifices: Regem ſe, non tamen eſſe fatetur
Mundanum Chriſtus, ſed uerum ex æthere teſtem:
Rurſum ubi de uarijs accuſauere maligni
Criminibus, tacuit: nec, ouis mitiſſima, quicquam
Rettulit: Herodis quoq; fert ludibria lenis,
Conciliatq́; illum, renouata pace, Pilato.

V. ACTVS DE SEN-
tentia damnationis.

Correctum præſes dimittere, quando remiſit
Illæſum Herodes, uoluit quòd & omnis abeſſet

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Culpa uiro: ſed uitam homicidæ liuida turba
Pontificum donat, uitæ moriatur ut author,
Ingeminans uoces: tolle & crucifige ſceleſtum:
Tardanti, mortiſq; auſo diſquirere cauſam
Sæpius, irati minitantur Cæſaris iram,
Pœnam iniuſticiæ ſibimet, natiſq; uouentes:
Tum flagella pati, tum ſpinea ſerta Redemptor
Cogitur, ac alapas, ac probra à milite ſæuo:
Damnat eum tandem & loti cenſura Pilati.

VI. ACTVS DE Crucifixione.

Baiulat inde crucem noſcendus ueſte per urbem:
Egreſſum releuat Simeon: peccata dolere
Vult ſua matronas: uino potatur amaro.
Latronum in medio crucifigitur, & tamen orat
Hoſtibus his ueniam: Rex hinc à præſide ſcri-
Militibus ueſtes diuiſas ſorte relinquit: (ptus
Diſcipulo matrem commendat: Prætereuntes
Pendentem irrident omnes: ridetq; latronum
Alter eum leuis, at paradiſo mittitur alter:
Sol tegitur, quum ſe deſertum à Patre creator
Conqueritur: ſedatq; ſitim felle, omnia complens:
Inq; manus Patris clamando pneuma reſoluit:
Oſſa manent in eo tamen integra, ſicut in Agno:
Sed, latere effoſſo, cum ſanguine fluxit & unda:
Omnia tunc magnũ oſtendunt elementa ſtuporem
Centurio iuſtum, atq; Deum pronunciat illum.

Actus

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

VII. ACTVS DE ſepultura.

Clarus ab Armatia Ioſephus uenit, & orans
Impetrat extincti tumulandum à Præſide corpus,
Ac empta ſindone, uiro comitatus & illo
Qui prius ad Chriſtum nocturnis uenerat horis,
Qui myrrhæ, ac aloes multum tulit: hi ſimul eius
In tumulo poſuere nouo frigentia membra:
Matronæ repetenda notant loca: ſed Phariſæi
Cuſtodes adhibent, Prætore ſinente, ſepulchro:
In quo defunctus peragit ſacra Sabbatha Chriſtus.

VIII. ACTVS DE Reſurrectione.

Morte deim domita, rurſus poſt Sabbatha ſurgit.
Matronæ tumulum uiſunt: Venit Angelus axe
Fulgens (terra tremit, ſubit et cuſtodibus horror.
Matronæq; pauent) et uiuum hîc quæritis, inquit?
Eſt alibi: quæ diſcipulis cùm ſomnia uiſa,
Currunt ad tumulũ, uacuumq; patere ſtupeſcunt:
Magdala prima Deum uidit de morte reuerſum:
Angelus at reliquis matronis nunciat illum
Viuere: cumq; timent illæ: nolite pauere (quit:
Vos, quotquot Dominum crucifixum quæritis, in-
Mox ipſum cernunt, plantasq; illius adorant:
Os uerò cuſtodum accepta pecunia claudit.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°



Pſal. 25.

*Integritas & æquitas conſer-
uabunt me.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Jacta omnis Hominum Alea
Est Nisi Exeundum Sit :
Cedit Altissimus Volubilita
=te Regnum Et Nostram Qua=
=dam Insulsam, Ulciscit Sapien=
=tiam.

Χάρις, Χαρὶν ἐστιν ἡ Τίκ=
=τουσ' ἀεί.

Dominus providebit!

Vulneribus Variis Virtus
Vegeta Virescit.

Anno 1 6 6 4
d. 15 Martij
Johannes Clestius

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°

138.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
Hielmst. 138 8°